Sic huius libri [illegible]
Josephus a [illegible] [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Esto memor patris cui dic dis nichil ab omi
Nomulus ut vedeas cultz, et arte domi
Esto memor patris cui dic dis nichil ab omi
Nomulus ut vedeas cultz, et arte domi
Esto memor patris cui dic sis nichil ab omi
Nomulus

Progymnaſmatum
ELOQUENTIÆ
PARS ALTERA:

Docetur ratio Oratoriè deſcribendi

LOCUM COMMUNEM,
LAUDATIONEM, &
VITUPERATIONEM.

Ad Aphthonium Sophiſtam obſervabat in Jlluſtri Stetinenſi Pædagogio

M. ANTONIUS BURCHARDUS
Lubecenſis, L. L. Prof.

Addita eſt etiam huic parti copioſa exercitiorum materies.

Liber ad L.

Vel tu me, vel quidam aliàs emet: Emtor, amabo,
Utere. Scriptorem, dic bone, Chriſtus amet.



STETINI.
Typis Kelnerianis, Jmpenſis Johannis Eichornij,
Anno M. DC. XII.

Nomina Exercentium.

Bernhardus Blumius, Lubec. Saxo.
Michael Sciricius, Lubecenſ. Saxo.
Heino Rave, Nobil. Megapol.
Laurentius Reventlovv. Nob Megap,
Valentinus Sperling, Nob. Megap.
Brun Otho â Rammin. Nob. Pom.
Henningius â Damitze, Nob. Pom. Carvinenſis.
Fridericus Venatorius, Holſatus.
David Crûgerus, Lubenau : Luſat.
Uldaricus Giſenhagius, Gûſtrovi : Megap.
Martinus Hakius, Dramburgenſ. Neo March,
Martinus Sorer, Jegerndorff : Sileſ.
Michel Dames, Flensburg : Holſat.
Jacobus Rungius.
Chriſtophorus Nagell, Colberg : Pomeranus.
Adamus Hamell, Gryphisvv. Pom.
Daniel Ventzkius, Belgar. Pom.
Froelich Hoppius, Stolp. Pom.
Petrus Clemens, Stralſund : Pom.
Andreas Sthaius, Rûgianus : Pom.
Thomas Græcus, Anglam : Pom.
Joachimus Somius, Tribucen : Pom.
Valentinus Kabelus Stolpa-Pom.
Georgius Pirche, } in Reth Kevitz : Pom.
Petrus Pirche, }
Ægidius Calbius, Leoburg. Pom.
Joachimus Cracovius Rûgenvv : Pom.
Michael Roſenovius, Fredl : Pom,
Georgius Colditz, Neovvarpen : Pom.
Johannes Bunſovius, Gryphisvv : Pom.
Jacobus Fleming, Pencunen ; Pom.
Joachimus Tideboldus, Sedin : Pom.
Petrus Bôblin, Sedin : Pom.
Jacobus VVothike, Sedin : Pom,
Joachimus Klôn, Sedin : Pom.



Nobilißimis Juvenibus & Adolescentibus,

MARCO AB EICHSTEDT, N. Pom.
HENNINGO â VVARBURG, N. Megap.
CHRISTIANO AB EICHSTEDT, N. Marc.

Discipulis meis charissimis,
S. P.



MEI Adolescentes, duo vobis præfixi sint operarum vestrarum fines, ad quos omni studio à vobis contendendum est ELOQUENTIA & SCIENTIA: sive ut rerum multarum, & in vita, vestro cujusque præsertim vitæ genere, necessariarum & utilium notitiã solidam vobis comparetis: deinde ut verbis disertis & ornatis mentem vestram expromere valeatis. Scientiæ igitur nomen rerum cognitionem complectitur: Eloquentiæ, verborum vel orationis. Ad rerum disciplinas refero, ut ad vos me accommodem, principiò omnium maximè necessariam institutionem in pietatis, religionis & salutis negocio; sive *studium*, ut vocant, *Theologicum*. Iterum eôdem pertinet *Politicum studium*: quod continet cognitionem præceptorum Philosophicorum de moribus, de Repub. de re domesticâ; tum historiæ lectionem, item Poetarum & Oratorum, quatenus ex his sententiæ & Loci communes de rebus Politicis suppeditant, & sic præcepta illa philosophica confirmantur, exornantur, explicatius deducuntur. Demum in rerum cognitione accenseo initia studiorum illorum subtiliorum, Mathematices & Physices: & tandem ex superioribus, ut vocant, Facultatibus Jurisprudentiam. Ad Orationis autem facultatem requiritur, ut primum *loqui*, deinde *dicere* discatis. *Loqui* discatis volo, hoc est verbis Latinis illis, proprijs & expeditis mentem exprimere. *Dicere* verò, h. e. ex Rhetorum arte, graviter, oraatè, eruditè ac prolixè sententiam non aperire tantum, sed alijs etiam persuadere.

Hic scopus & finis noster, ut dicebam, quem ut assequamini sedulo elaborandum vobis est. Ut autem assequamini non ita brevi tempore fieri poterit,

sed

sed universæ vitæ ea occupatio est. Quod autem nautæ faciunt ut ad quem locum contendunt, ad eum semper se & navim obvertant, hunc crebro speculentur ex pixide nauticâ, huc clavum detorqueant, & hinc vix oculos unquam dimoveant.

Idem vobis faciendum est mei adolescentes, ut hunc scopum vestrum nunquam è memoriâ & cogitatione amittatis, hunc crebro speculemini, huc omnia cogitata, omnem laborem, studium denique omne dirigatis: sc. ut perpetuo aut in rerum necessariarum aut in orationis cognitione aliquousque provehamini: & tandem ætate maturiori, quasi in portu constituti, egregiâ aliquâ eruditione familias & patrias regiones vestras juvare, & exornare valeatis. Hac ætate vestrâ, & apud nos quidem fundamenta jacimus, & primo istorum omnium quasi colore vos imbuimus. Quæ eò minus contemni à vobis debent, quò minus fieri potest ut reliqua sine his initijs consequamini. Loquelam vestram ut formemus, præcipuum officium nostrum est. In quo spero ita nos versari, ut & vos & parentes vestri magnifici in fide nostrâ facile pro pietate vestrâ acquiescatis. Reliquorum, Eloquentiæ dico & scientiæ gustum vobis præbemus, varijs privatis & publicis exercitijs & prælectionibus. Inter hæc sunt progymnasmata Eloquentiæ quod nostis. In quibus ego quantum situm esse sentiam ad arduam illam & pœne ab omnibus desperatam eloquentiæ facultatem nec scribere mihi nunc libet, nec quisquam fidem facile adhibebit, nisi manum admovendo ipse & exercendo jam antè sciat. Etenim omnis in his artibus difficultas ex laboris fugâ ferè nascitur; quod quotidianam & diuturnam scriptionem & exercitationem desiderant: Cuius tædium si quis toleraverit aliquantum & consuetudine superaverit, sine negotio aut molestiâ saltem reliquum Eloquentiæ studium pertexet. Ea igitur nobis in progymnasmatis vel exercitijs his præparatorijs mens est, hoc propositum ut crebrâ scriptione & dictione oratorijs operis assuefiatis. Si enim narrare, gnomen aliquam commendare & evolvere, confirmare aliquam sententiam veram, & falsam confutare, locum communem describere, laudare aliquos aut vituperare & reliqua facere, quotidiano usu didiceritis: certè felicissimum ad eloquentiam aditum & viam vobis communitam affirmaverim.

Quare mei adolescentes, amate hæc exercitia, & tædium laboris, quod etiam nunc sentitis sufferte: vincetis enim brevi, si annisi fueritis. Ut enim onera contentis corporibus commodè feruntur, remissis opprimunt, ita etiam in literarum studio, non sentitur sedulitate labor: Contrà; non est hoc studium ita facile quin difficile fiat, si invitus, addo, remissiori animo facias. Vos valete, & sedulitate non tantum levate vobis laborem: sed etiam hanc unicam esse ad pulchra perveniendi viam mementote. Stetini. Anno 1612. 15. Iulij.

Vester

M. Antonius Burchardus.

INDEX.

Sylvula laudationum breviusculariarum Poeticarum.



Dn.

DOCTISSIMO VIRO

Dn. M. ANTONIO BURCHARDO

LUBECENSI SUBRECTORI ILLUSTRIS. Pœdagogij Stetinensis fidelissimo,

Partem alteram Progymnasmatum suorum edenti.



Loquij laudes qui decantare laborant,
Næ frustra hi cunctam suscipiunt operam.
Nam quæcunque minus præstant, encomia poscunt;
Vino ast vendibili non opus est hedera.
Cur ergo Eloquij in laudes nunc ora resolvam?
Cum commendetur sat bonitate sua:
Nec minus; ac quondam Delphinas traxit Arion
Per Pelagi fidicen dum veheretur aquas,
Aut Orpheus umbras, arbusta, animalia, saxa,
Dum tereret blandæ fila sonora lyræ:
Ad se pelliciat nostras Facundia mentes
Præstans, & cunctos in sua castra trahat.
Hinc quisque Eloquium Demosthenis aut Ciceronis
Optat, Cecropij aut ora diserta senis:
Nec tam præconem; quam præclarum arte Magistrum
Dicendi poscit sollicitèque cupit:
Quo duce perveniat summa ad fastigia SUADÆ,
Et Blando discat fundere verba sono.
Ergo tibi Merito debetur gratia magna,
Tale quod, ex voto, munus obire placet,
BURCHARDE ô patriæ decus, ô gratissime Musis,
O mihi Thesæa cognite amice fide!
Gratia debetur merito tibì maxima, non tam
Eloquij laudes quod celebrare studes;
Quam monstrare viam summa ad fastigia SUADÆ,
Et benè facundos reddere discipulos.
Conscripta haud parvâ tua dum gymnasmata curâ,
In lucem profers nobiliore operâ.
Atque ea vivaci condis BURCHARDE papyro,
Quœ Sedinensi nota fuere scholæ.
Pluribus ut posthac labor atque industria prosit,
Quæ saltem paucis utilis ante fuit.
Sic decet: obscuro nec condere lumen in antro
Convenit, & dotes dissimulare suas.
Perge; atque Eusebiæ similis sis miles in armis,
Eloquio sacro verba sacrata docens.

Sic volucri te grandis honos super æthera fama,
Et penna fatum non metuente vehet.
Sic patriæ pergratus eris, Pomeranica tellus
Te colet, & poteris sic placuisse Deo.

Matthæus Bacmeisterus
Phil. & Med. D. fac.

Ad M. Antonium Burchardum,



Naviter insudas pubi, Burcharde, docendæ,
Certus non operæ parcere, non oleo.
Utile laudamus conamen & ardua facta
Quæ tibi promoveat, qui movet omne Deus.
Pigrantes scabie mulctentur; & optima quæq;
Contingant hâc pro sedulitate tibi.
Plurimus invenies etiam præconia laudum
Inter, quos potuit Musa polire, viros.
Hoc tu Corde sedes nostro, semperq; sedebis
Abstulerit dum me mors homicida tibi.

Ad Eundem.

M*E licet ingenium parcius abjiciat*
Nec par esse queam viris politis:
Me tamen ad Musas fervida cura rapit,
Et gaudens vehor ad fluenta Phœbi.
Hinc, Burcharde, *tuos pervolitans oculis*
Ausus totus & omnis obstupesco.
Quod monstres tantâ cum brevitate viam,
Ad maiora rudi movenda pubi;
Pubi quæ sequitur te generosa ducem,
Dignum laude ducem frequentiori.
Urge concessis, qui bonus ipse, bonis
Inservire bonis adusq; mortem.
Sic tibi sic precium post bonitatis erit
Cum Deus bona largius rependet.

Iohannes Gundermannus
Hilperhusanus, Francus,
in aulâ Loizana Ecclesiastes.

APH-

APHTHONII SOPHISTÆ,
Progymnaſma Eloquentiæ Septimum.
LOCUS COMMUNIS.
ΟΡΟΣ ΚΟΙΝΟΥ ΤΟΠΟΥ.



Κοινός ἐστι τόπος λόγος αὐξητικὸς τῶν προσόντων τινὶ καλῶν ἢ κακῶν· εἴρηται δὲ οὕτως ἀπὸ τοῦ κοινῇ πᾶσιν ἁρμόττειν τοῖς μετασχοῦσι τοῦ αὐτοῦ πράγματος. ὁ γὰρ κατὰ προδότου λόγος κοινῇ πᾶσιν ἥρμοσε τοῖς κοινωνοῦσι τῆς πράξεως. δευτερολογίᾳ δὲ ἔοικε καὶ ἐπιλόγῳ. διὸ προοίμιον μὲν ὁ κοινὸς τόπος οὐκ ἔχει. προοιμίων δὲ πλαττόμεθα τυπὸν, γυμνασίας ἕνεκα τῆς πρὸς τοὺς νέους. Μεθ' ἃ θήσεις κεφάλαια. Πρῶτον ἐκ τοῦ ἐναντίου. εἶτα ἐποίσεις τὴν ἔκθεσιν, οὐχ ὡς διδάσκων, ἔγνωσται γὰρ, ἀλλ' ὡς παροξύνων τὸν ἀκροώμενον. Μεθ' ἣν ἐποίσεις τὴν σύγκρισιν, ἐκ παραθέσεως συνάγων τῷ κατηγορουμένῳ τὸ μεῖζον. εἶτα γνώμην, κεφάλαιον, οὕτω καλούμενον, διαβάλλων τὴν τοῦ πράξαντος διάνοιαν. εἶτα παρέκβασιν, στοχαστικῶς κακίζων τὸν φάσαντα βίον, ἔπειτα ἐλέου ἐκβολὴν, καὶ τελευταῖα τοῦ προγυμνάσματος τὰ τελικὰ κεφάλαια, νόμιμον, δίκαιον, συμφέρον, δυνατὸν, ἔνδοξον, ἐκβησόμενον.

Locus communis, eſt oratio extollens & quæ in unaquaq; re inſunt bona vel mala. Inde verò ſortitus eſt nomen, ut communis Locus appellaretur, quod ad multas res ejuſdem generis conveniat atq; accommodari poſſit. Verbi gratiâ, quæ adverſus proditorem generatim poſſunt dici, ea poſtea rectè ad quoslibet ſingulos inflecti queunt, qui proditionis accuſantur. *definitio Etymologia*

Videtur autem Locus communis eſſe quædam quaſi acceſſoria & ſecundaria probatio, & epilogi inſtar vel concluſionis. Ideò etiam exordio deſtituitur. *De uſu in juſto orationis corpore.*

Præcipimus tamen etiam hîc de exordio, ſed ſaltem in hujuſmodi exercitijs Scholaſticis. Poſt proœmium hæc ſubijciuntur quaſi capita & *Partes. 1. 2.*

partes,

3. partes, primum ponitur contrarium. Ab eo subijcitur ἔκθεσις, expositio vel Narratio, non causa docendi & instituendi auditorem, sed excitandi atq; inflammandi. Hinc instituamus Comparationem, & conferendo rem
4. aliam inferamus de re pręsenti majus aliquid. Mox Γνώμη adducetur, (hoc
5. autem est peculiare huic parti nomen) quà repræhendimus sententias & opiniones ejus cujus mores accusamus. Deinde subijcitur παρέκβασις vel
6. Egressio quà criminamur ex varijs conjecturis vitam ejusdem hactenus actam. Porrò misericordia præciditur. Et tandem in extremo apponuntur
7. loci illi usitati; Legitimum, justum, utile, possibile, verisimile, eventus
8. vel consequens.

Commentatio.

PROGYMNASMA SEPTIMUM

Locus Communis.

De hoc Progymnasmate tria docet author: 1. Definitionem. 2. usum. 3. Tractationem.

DE PRIMO: vel Definitio Loci Communis.

Κοινός ἐστι τόπος, λόγος αὐξητικὸς τῶν προσόντων τινὶ καλῶν ἢ κακῶν. Locus communis est Oratio quæ effert & extollit ea quæ cuiq; (vel rei vel personæ) adsunt bona vel mala. Genus est, Oratio. Intelligitur autem Oratio composita, ex pluribus Propositionibus. Habet enim locus communis Propositiones plures. Unam principalem tanquam conclusionem. Reliquas minus principales, & istius probandæ ac declarandæ causa adductas. Principalis Propositio fungitur loco Maioris Propositionis oratoribus, & est nihil aliud quàm universalis aliqua Propositio, vel de aliquo universali subiecto concepta sententia vel enunciatio, quæ propter hanc universalem potest varijs rebus accommodari. Sic quælibet facultas habet suos locos cõmunes, Theologi, Jurisconsulti, Philosophi, Oratores. Differentia, bona & mala extollere & efferre, quæ cuiq; (vel rei vel personæ) adsunt Partes hujus differentiæ. 1. Bona & mala, sunt objectum & materies tanquam prædicatum in principali Propositione loci communis. 2. Quæq; res vel persona est objectum vel materies tanquam subjectum in Propositione principali loci communis. Et hæc res vel persona debet

Quid sit. Genus. *Differentia*

sum universalis, e. g. Imperator, Virtus, Fortitudo, Vir fortis &c. Non Cajus Julius Cæsar aut hujus vel illius virtus, Et hic vel ille vir fortis. Isto enim non hoc modo fiet loc9 communis. 3. Efferre vel extollere τὸ αὐξάνειν est finis internus vel occupatio loci communis circa hujusmodi subjectū, scilicet quibus potest modis orator excogitat & conquirit & exaggerat, quæ generi isti rerum vel personarum àdsint bona vel mala, e. g. Quę possint dici in homicidam, in furem, in avarum &c. Quæ possint de Philosophia, de Philosophis, de sectâ Aristotelicâ, de bello congeri &c. Hic prædicatum sunt bona & mala quæ his rebus adsunt. Subjectum sunt in genere Homicida, Fur, Avarus, Philosophus &c. Finis est excogitare & exaggerare ista bona vel mala, vel prolixè proponere: quod fit quasi in probatione, vel reliquo orationis corpore,

Ad definitionem pertinet Etymologia vel nominis ratio, unde dictus sit locus communis. Dictus est locus, quasi sedes & materies probationis, Communis autem i. e. universalis, quod pluribus rebus possit accommodari, πᾶσιν τοῖς μετασχοῦσιν πράγματος, quæ participes sunt hujus ejusdem negocij, i. e. de quibus potest subjectum loci communis prædicari. e. g. Quæcunq; dicuntur in loco communi in genere de viro prudenti, illa eadem conveniunt deinde, & possunt usurpari quoties de hoc vel illo dicendum est, qui sit vir prudens. *Definitio nominis, vel Etymologia.*

Quod eò intelligendum est, qui volunt in arte oratoria aliquò usq; progredi: Item in reliquis facultatibus vel disciplinis debent hujusmodi locos communes habere consignatos & de singulis rerum generibus collecta habebunt, quę dici de unoquoq; poterunt, e. g. Inductiones, Enthymemata, Similia, Exempla, Sententias veterum &c. Hinc igitur quoties dicendum erit, depromere poterunt & facilè suppeditabit quod dicant in unoquolibet genere causarum & negociorum. *Usus loci communis in genere.*

Aristoteles libro Topicorum 1. c. 14. consulit ei qui vult disputator evadere, ut habeat omnibus rerum generibus λόγους γεγραμμένους vel διαγραφάς, i. e. Locos communes consignatos vel Propositiones universales plurimas collectas cum suis probationib9. Et præscribit etiā modum horum colligendorum. Unumquodlibet, inquit, Genus rerum debemus ὑποτίθεσθαι præsupponere, & deinde facere descriptiones & primùm incipere à definitionibus: Id est, debemus. 1. facere titulos quosdam ex divisione rerum, ut 1. de bono. 2. de malo. 3. De uno. 4. De multis. 5. De vero. 6. De Ente. 7. De non ente. 8. De aliquo. 9. De Nihilo. 10. De Deo. 11. De *Ratio quædam inveniendi locos communes. 1. Topicos.*

Intelligentijs. Et sic porrò de rebus universalibus, de quibus agit Metaphysica. Item secundum divisionem singulorum generum, e. g. De Substantiâ corporeâ, de animatis & inanimatis corporibus secundum partes disciplinæ Physicæ. Item de speciebus qualitatum. De habitibus &c.

II. Sub his titulis variæ Propositiones colligendæ : & 1. quidem loco poni poterunt, quæ pertinent ad definitionem, e. g. Quod sit Bonum, Malum, Substantia &c. & hic definitio recepta subjungitur. Deinde opiniones, vel quomodo hic & ille, vel tertius vel quartus definierit. Et hic subjungatur vel præmittatur Nominis definitio & Homonymia, e. g. Quot modis dicatur Bonum, & singulorum modorum descriptio. Postea reliqua poterunt subjungi, e. g. De divisione Boni & speciebus, & quæ accidant bono, & causis Boni & variorũ opiniones de Boni his accidentibus.

Ratio conficiendi oratorios locos.

Ad horum imitationem poterimus & nos facere locos ejusmodi oratorios. 1. Si faciamus titulos. Quod fiet ex divisione unum circa quas versatur, vel de quibus dicit orator. Illæ sunt res practicæ, quæ aguntur, item quæ ad res humanas concurrunt. Et populariter sic dividi poterunt. Sunt 1. Res divinæ. 2. Naturales. 3. Humanæ. Hæ igitur erant tres quasi majores classes locorum communium. Iterum prima classis poterit dividi in suos titulos, e. g. 1. de fato. 2. De Providentiâ divinâ. 3. Quod sit aliquis Deus. 4. Quod Deus sit ultor scelerum. 5. Quod Deus sit recompensaturus pietatem. 6. Quod Deus constituat regna &c.

Sic secunda classis habebit titulos de mirabili mundi structurâ, de varijs naturæ operibus. 2. De hominis fabricâ admirandâ. Sic alij poterunt fieri tituli, si inciderimus in hujusmodi res naturales ab oratoribus tractatas.

Tertia Classis erit copiosissima. Quia circa humanas potissimum res occupata est Rhetorica. Hic poterit institui divisio secundum rerum in Philosophiâ practicâ explicatarũ differentiam. Hic 1. dici poterit de moribus universim. Qui iterum tractatus dividatur in suos titulos & capita. 2. De Politicâ vel gubernatione Reip. 3. De Oeconomiâ. 2. Sub his titulis allegentur, quæ solent oratores de his capitibus dicere. Item quæ nos poterimus de his excogitare.

DE SECVNDO: *Sive usu loci communis in justo Orationis corpore.*

Δευτερολογία ἔοικε καὶ ἐπιλόγῳ i.e. Locus communis habet rationem secundarum partium, & epilogi sive perorationis. Vel ut alij: Argumentationi jam peractæ & epilogo similis est. Vel videtur esse quædam

accef-

accessoria vel secundaria probatio, & instar epilogi. Accessoria probatio est, quæ principali probatione factâ, ex abundante & quasi accessionis loco adijcitur, & juvat principalem probationem, ut fortius probet. Principalis probatio est in oratorijs syllogismis Propositio minor. Hâc enim probè declaratâ ac confirmatâ assentietur auditor, etiamsi non addatur Propositio Major vel locus communis. Quare, quando adijcitur major Propositio, vel locus communis, est probatio accessoria, vel secundaria. Juvat tamen locus communis probationem, quia ejusmodi universales sententiæ sunt plenæ motuum vel affectuum, & ità etiam tractantur loci communes vel ad affectus movendos accommodantur.

L. C. Est accessoria probatio.

Instar Epilogi. Epilogus generaliter ac universaliter sumtâ voce est idem quod δευτερολογία vel accessoria probatio. 2. Rhet. c. 20. Si quis habet, inquit Aristoteles, Enthymemata, ille utetur exemplis fictis & veris, ὡς μαρτυρίοις ἐπὶ λόγοις i. e. tanquam testimonijs accessorijs vel honorarijs. Specialiter pro conclusione Orationis sumitur, cujus officia sunt quatuor 3. Rhet. c. ult. 1. Conciliare benevolentiam & adversario odium. 2. Amplificare vel extenuare, 3. movere, & 4. renovare memoriam. Eadem ferè sunt Loci communis officia. Itaq; sic quasi per exemplum aut simile ostenditur, quis sit usus loci communis, scilicet qui est Epilogi, ut benevolentiam conciliet nobis, adversario odium, ut extenuet aut amplificet præcipua causæ capita, ut moveat vel affectus inducat.

Est instar Epilogi.

DE TERTIO: *Sive Tractatio loci communis.*

Tractationis loco ab Authore afferuntur aliquot locorum sive partium genera, quæ tamen videntur quintuplicia. Primum genus sunt partes Elocutionis, vel quæ pertinent ad copiam Orationis. Alterum genus pertinet ad ἦθος, sive mores, sive ad efficiendam Orationem moratam. Tertium genus pertinet ad Amplificationem. Quartum pertinet ad πάθος vel affectus in animis auditorum conciliandos. Quintum genus sunt partes ἀποδείξεως vel demonstrationis, vel pertinent ad rationem probandi per argumenta.

De Primo genere vel partibus elocutionis in loco communi.

Hic continetur ratio copiosè & prolixè proponendi locum communem. Ponuntur autem duæ partes ab authore, Exordium & contrarium.

Prima pars Elocutionis, Exordium.

Exordio locus saltem est in exercitijs hujusmodi scholasticis, quando

 separa-

separatim tractamus locum communem. In Oratione autem continuâ locus communis est pars probationis Oratoriæ, nempè Major propositio, & ponitur plerumq; ultimo loco, quippe epilogi instar se habens, Itaq; sic non admittit Exordium.

Secunda pars Elocutionis, Contrarium.

Contrarium accipiunt Oratores generaliter pro Opposito vel Propositione opposita. Est a. oppositio duplex: Secundum Formam & materiam. Secundum formam oppositio est affirmatio & negatio ejusdem prædicati, de eodem subjecto, respectu eodem & tempore eodem absq; homonymia. Quæ una est contraria, scilicet duarum universalium Propositionum. Altera subcontraria duarum particularium Propositionum. Tertia contradicens vel contradictio duarum oppositarum diversæ quantitatis. Oppositio Propositionum secundum materiam, est oppositio ratione terminorum simplicium oppositorum. Termini oppositi simplices sunt quatuor generum, relata, contraria, contradicentia, privatio & habitus. Sed in relatis est consensus quidam & major quàm pugna. Privantia & habitus coincidunt cum contradicentibus vel sunt eadem ferè. Sic relinquitur contrariorum & contradicentium usus in hac oppositione, qui duplex est: Primus, non possunt uni & eidem attribui respectu & tempore eodem, e. g. Virtus est laudanda. Itaq; contrarium hujus vituperandum, & contradicens non laudandum, non potest dici de virtute, vel attribui virtuti, sive, virtus igitur non erit vituperanda, aut non erit non laudanda.

Quid sit oppositio.

Usus oppositorum Logicus.

Secundus: Possunt καθ' ἀκολουθίαν conjungi, vel per consequentiam, sive ità ut sit inter contraria consensus, si bina binis opponantur. Virtus est laudanda. Vitium est vituperandum, vel non laudandum. Latè patet hujus oppositionis usus. In præsentia illud monebimus, quomodo ex his oratio augeri vel accumulari Propositionum multitudo possit.

Usus oratorius.

Dato igitur loco communi aliquo, Oratoris est, prolixè hinc posse proponere. In quâ re plurimum juvabitur isto loco, Sic autem utetur: Exposita principali Propositione, copiæ causa, & ut sit oratio amplior, adjungi poterunt oppositæ Propositiones.

Usus oppositarũ secundum formam, ad orationis copiam.

Hic verò Propositionum oppositarum secundum formam, minor erit usus, quia hæ magis propriæ Dialecticorum: sed tamen neq; harum planè nullus usus erit. Videntur v. sic commodius usurpari posse si concipiantur modales vel cum modo. Qui modi hic in oratoria materia sunt, honestum est, pulchrum est, jucundum est, æquum est, utile est, &c. rectè

fit,

fit, & similia. Item horum opposita. Sit igitur locus communis: Virtuti honor habendus est. Hanc sententiam sic poterimus proponere, virtuti honorem haberi, hanc coli atq; amari æquissimum est. Deinde subjungemus oppositam cum modo opposito. e. g. Nullam autem virtutis haberi rationem, nullum virtutis esse præmium, nullum adhiberi honorem, iniquissimum est. Poterimus etiam sine modo uti, per duplicem negationem, e. g. Sic, virtuti honor habendus est, & virtuti non debet non haberi honor.

Usus oppositarum secundum materiam.

Ulterius quærantur singulorum terminorum contraria, contradicentia, & si horum usus esse poterit, etiam relata. Et hæc connectantur. 1. Inter se. 2. Cum terminis loci communis, sed κατ' ἀκολουθίαν, per consequentiam, vel ita ut sit inter Propositiones consensus, e. g. Virtus honore afficienda.

Contraria: Vitiũ ignominiâ afficiendũ: Contradicentia: Quod non est virtus non est afficiendum honore. Hæc sic poterunt connecti. 1. Inter se, vitium est ignominiâ afficiendum. 2. Quod non est virtus, non est afficiendum honore. 3. Vitium non est afficiendum honore. 4. Quod non est virtus, est afficiendum ignominiâ & contemnendum. Deinde connectantur cum terminis loci communis: ut 5. Virtuti non est adhibenda ignominia. 6. Virtus est afficienda honore. 7. Vitium non est honore afficiendum. 8. Quod non est virtus non est honore afficiendum. Iterum, si his Modum velimus adjungere, multę aliæ poterunt extrui Propositiones, e. g. Virtuti honorem haberi æquissimum est, & iniquissimum, vitium non affici ignominiâ, & æquissimum vitium non affici honore. Demum istæ singulæ Propositiones possunt variari per conversionem, e. g. Virtuti honor habendus est, & cui rei honor habendus est, illa aut virtus aut à virtute profecta esse debet: Nec ulli rei habendus est honor, quæ non à virtute commendetur. Item vitium ignominiâ est afficiendum, & cui rei ignominia adhibetur illam rem oportet esse vitiũ, vel à vitio corruptam: nec ulli rei adhibenda est ignominia, quæ non propter vitium, odio & ignominiâ digna sit.

ADMONITIO. His Propositionibus ita multiplicatis. 1. Augetur oratio & fit amplior. 2. fit magis perspicua oratio tot verbis proposita & declarata. 3. Paratur aditus ad facilius inveniendum quod dicas ad confirmandum locum communem, aut motus concitandos. 4. Pluribus verbis debent proponi Propositiones illæ oppositæ, tum variari phrases, ut sic la-

teat artificium & varietas medeatur tædio. 5. Videndum tamen ut modus servetur, ne tædium obrepat, ne multitudine nimiâ verborum obruatur sententiæ perspicuitas. 6. sunt præterea alij modi, multiplicandi Propositionem universalem: de quibus suprà Progymnasm. 3 & 4. in divisione 3.

De secundo genere partium vel partibus morum in tractatione loci communis.

Locus communis est Propositio universalis, & sic talis, quali utuntur viri boni scilicet si rectè conceptus est locus communis. Et sic locus communis omnis per se pertinet ad mores in oratore significandos bonos & conciliat benevolentiam, si aptè & loco adhibeatur. Sunt alij modi & partes significandi mores, de quibus suprà dictum est, 4 & 5. Progymnas. Author unam saltem hîc facit partem, τὴν ἔκθεσιν expositionem vel narrationem. Et dicit hanc non adhiberi ut doceas, sed ut moveas auditorem. Non ut doceas, i. e. tanquam necessariam partem causæ. Locus communis est Propositio universalis & ferè nota. Narratio est rerum particularium gestarum. Itaq; Narratio in loco communi, non habet usum docendi vel probandi. Movet tamen, i.e. opinionem bonorum morum & prudentiæ, & sic benevolentiam conciliat Oratori, si ita noverit mores hominũ. Tum ipsi mores expositi adjungent animum auditoris, ut faveat vel assentiatur causæ.

Quod hæc pars pertineat ad mores.

Quæ circa subjectum loci communis sunt bonorum morum characteres i. e. dicta & facta singularia hæc exponuntur, e. g. Sit locus communis, vir bonus & prudens, summâ laude dignus est. Hic viri boni dicta & facta singularia enarrentur sub hac parte, e. g:

Quomodo fiat ista rerũ narratio

Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam lapsi repetiverit acta diei.

Sic si sit locus communis: Paupertas occasio est diligentiæ in multis, per quam postea ad magnos honores evehuntur. Hic dicas in narratione Pauperum mores, dicta & facta singularia, e. g. Qui fortunâ utuntur vel re familiari tenuiori, fugiunt pigritiam, surgunt summo mane, vigilant, sudant, algent. Sæpius ex illis audias vulgare:

Non jacet in molli veneranda scientia lecto,
Ipsa sed assiduo parta labore venit.

Mare & terras pererrant, Undecunq; possunt, discunt. Omnibus ablandiuntur atq; arrident, omnibus se insinuant ubi possunt honestè. Sæpius

pius habent in ore: Quem fortuna humi dejecit, hunc oportet omnibus esse supplicem: Item illud Homericum: αἰδὼς οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι. Non expedit viro egenti esse pudentem etc.

Malorum morum expositio vel narratio, movet odium, & sic pertinet ad quartum genus partium, vel ad motus sive affectus.

Hæc eadem pars poterit etiam ad alios usus accommodari. 1. Ad copiam. 2. Ad Amplificationem. 3. Ad probationem. Ad copiam, augebitur n. Oratio, si pro uno subjecto universali, plura ponas particularia, eg. Sit locus communis: benevolentia mutua inter homines conservanda est. Hoc exposito, poterit per Narrationem sic augeri Oratio, si afferantur dicta & facta hominum benevolentiâ mutuâ inter se colentium, eg. Mutuò iuvant se, mutuò amant, non bona tantum & opes, sed vitam etiam pro amico profundere non dubitant,

Alii usus narrationis.
I. Ad copiã

2. AD AMPLIFICATIONEM, quia quod per partes narratum & expositum est, grandius apparet, eg. si pro Amico dicas, qui me amat, & cum quo fœdera perpetuæ amicitiæ inij, & qui hoc & hoc beneficio me affecit etc.

3. AD PROBATIONEM, quia istæ partes faciunt Inductionem, quæ quomodo facienda sit suprà expositum est.

De Tertio genere partium vel partibus Amplificationis in Tractatione loci communis

AMPLIFICATIO est Demonstratio Magnitudinis, vel est Enthymema, quo probatur rès esse magna, eg. valdè honesta, valdè utilis, valdè jucunda etc.

Loci Amplificationis sunt ijdem ex quibus demonstratur res esse honesta, bona, utilis etc. 2. Rhet. c. 19. In illis locis est σύγκρισις, COMPARATIO. quam unã habet hic author noster, & jubet ut sic proponam, ἐκ παραθέσεως συνάγων τῷ κατηγορουμένῳ τὸ μεῖζον, i. e. per Collationem attribuamus vel inferamus de dicto nostro termino maius aliquid. In loco communi est subiectum: quod appellatur hîc κατηγορούμενον, res dicta, vel de qua dicitur aut dictum est. Huic debet applicari τὸ μεῖζον, i. e. huius prædicatum debet augeri. eg. Sit locus communis: Vir prudens est laudandus. Hîc Vir prudens est κατηγορούμενον, laudandus est prædicatum, quod debet augeri per comparationem i. e. ostendi, quod valdè magnæ debeantur laudes viro bono. Hæc igitur est conclusio quasi cõparationis, scilicet

locus communis noster. Demonstratio autem appellatur ab authore παράθεσις Appositio, Collatio etc:

INVENTIO talis est: 1. quæritur terminus cui item insit hoc idem prædicatum, eg. Artifices, milites, divites laudantur, Sed quò magis sunt illustres vel excellentes in suo genere termini isti eò sunt commodiores, eg. Principes, Nobiles, Doctores etc. sunt laudandi. Deinde παρατίθενται, Opponuntur sibi vel comparantur: vel ostenditur quæ in isto assumto termino sint causæ, quare hoc insit prædicatum e. g, Quæ adsunt bona, quare laudentur, vel quæ adsint mala, quare vituperentur, sive artifices, sive milites, sive nobiles, sive Principes. TERTIO ostenditur in nostro subiecto loci communis esse causas easdem vel etiam maiores (ut libitum est & fert negotium præsens) eg. Esse in nostro bona vel mala aut eadem aut paria, aut similia aut etiam maiora etc. Hinc sequitur spontè conclusio. Consequentia talis est: Maior Propositio poterit esse. Æquè dignis æqualia sunt tribuenda, vel maioribus dignis maiora. Deinde subjiciatur Collatio illa dicta.

De quarto genere partium, vel partibus affectuum in Tractatione loci communis

Affectus sunt, ira, delinitio, amor, odium, metus, pudor, gratia, misericordia, nemesis, invidia, æmulatio &c. His affecti homines aliter atq; aliter judicant, de rei veritate aut etiam magnitudine. Hos affectus oratores concitant, eos scilicet quibus affici auditores commodum fuerit suæ causæ. Quid autem sint singuli, & quomodo oratoriè effici possint, prolixè docet Aristoteles 2. Rhet. toto libro. Author noster hæc tria hic attingit, quomodo contemtus aut odium possit concitari, cui usui duos dat locos. Tertiò quomodò misericordia sit evellenda ex animis auditorum vel nemesis excitanda. Usus horum erit si locus communis sit de re aliquâ vituperandâ, e. g. Ebrietas est turpis. Hic contemtus & odium potest conciliari hominibus ebrijs, & monstrari, quod indigni sint misericordiâ, vel etiamsi locus communis sit de re laudandâ, poterit fingi contrarium, & ad hoc accommodari hi motus, e. g. Si sit locus communis de laudibus Temperantiæ, contrarium erit, Ebrietas est turpis: & sic idem erit usus, vel ebrij sunt adducendi in odium, contemtum &c.

Locus primus, γνώμη.

Locus primus. γνώμη.

Sic autem appellatur reprehensio τῆς τοῦ πράξαντος διανοίας, sententiæ

tentiæ authoris. Vel fictio consilij & sermonum ejus hominis, qui continetur in subjecto loci communis, e. g. Si fingas, quid ebrij cogitent, quid habeant consilij, quid spei, quare ebrietatem sectentur, cur non mutent mores, quare non corrigantur damno valetudinis & rei familiaris, non publicâ infamiâ: Quales sermones agitent secum, & hæc debent fingi turpia, ac ridicula, sive pugnantia cum virtutibus, dictis & factis viri boni. Hæc fictio si habeat crimina grandia adducet in odium. Si leviora, contemtum, & risum excitabit.

Secundus locus παρέκβασις, digressio vel egressio.

Sic appellatur si superiorem vitam hominis enarres & vituperes. Homo autem hic poterit sumi vel universalis: qui scilicet est in subjecto loci communis e. g. ebrij. Sic illæ afferendæ erunt circumstantiæ, quæ communiter ebrijs accidunt. e. g. Qui à similium morum parentibus nati sunt, verè dant se ebrietati. Item qui à divitibus parentibus nati, item qui diligenter sunt educati & delicatè &c. Vel poterit homo sumi singularis scilicet de quo in præsenti oratione agitur, & sic circumstantiarum istarum usus erit amplior. Poterunt enim singulæ personarum circumstantiæ huc advocari, & criminis loco objici, e. g. Et parentes, quod hi vel similes fuerint, aut aliàs mali: vel si fuerunt boni, noster ille reus sit illis indignus & dissimilis.

Tertius locus, misericordiæ denegatio vel Nemesis.

Hìc ostendi debet esse istum ita indignum vel universos, de quibus in loco communi agitur, ut etiamsi gravissimis supplicijs afficiantur, maximas experiantur calumnias, tamen non sint misericordiâ persequendi.

Quintum genus partium vel partes probationis in tractatione loci communis.

Hìc enumerantur loci varij, unde possunt duci argumenta ad probandum locum communem. Et hi quidem loci sunt ijdem cum illis suprà in 5 & 6. Progymnasm. positis. Nunc saltem aliter numerantur. Nam confirmatio est generaliter quælibet probatio: Et confutatio est quælibet Refutatio. Itaq; loci isti ubiq; utiles erunt. Quidam autem loci hic omittuntur ab authore, quorundam partes hic connumerantur. Præterea ponuntur saltem loci confirmationis: E quibus loci confutationis debent fieri per Oppositionem. Ut istis utamur in sententiâ nostrâ confirmandâ: Hic

in oppoſitâ ſententiâ refutandâ. LOCI hi SEX ab authore ponuntur. 1.
δίκαιον. 2. νόμιμον. 3 συμφέρον. 4 δυνατὸν. 5 ἔνδοξον. 6 ἐκβησόμενον.
Δίκαιον vel IVSTVM univerſaliter uſurpatur hîc pro omni hone-
ſto. Ius aliud eſt naturale, aliud ſcriptum. Naturale eſt, quod omnium con-
ſervatur iudicio. Scriptum ius eſt, quod eſt certis verbis conceptum, & ali-
cubi ad certas circumſtantias accommodatum, ſive Lex. Aliàs jus ſcriptum
à jure naturali non differt. Per juſtum author noſter hîc intelligit naturale
jus, ſive honeſtatem in genere.

II. LEGITIMVM intelligitur ab authore noſtro jus ſcriptum vel le-
ges, quæ ſunt attendendæ & afferendæ probandi loci communis cauſâ.

III. UTILE, quoniam diſtinguitur ab authore noſtro vel diſtinctim
proponitur ab honeſto vel juſto. Itaq; hic intelligitur lucroſum.

IV. POSSIBILE ſuprà explicatum eſt Progymnaſ. 6.

V. ἔνδοξον eſt idem quod πιθανόν ſuprà, vel VERISIMILE, ſic enim
uſurpatur ἔνδοξον.

VI. EVENTVS eſt pars utilitatis: ſi enim bona conſecutura explices, divi-
das, prolixè in his immoreris, appellant eventum. Item ſi mala. Etiam reli-
qui loci ſuprà propoſiti debent conſuli & quàm maximè commodæ deli-
gi probationes, & ſic contraria etiam horum, vel loci confutationis. Modũ
hæc argumenta explicandi non habent peculiarem, ſed illum quem ſuprà
docuimus.

EXERCITIVM.

Locus communis de gloriæ ſtudio.

Nihil gloriæ ſtudio magis decet animum generoſum & verè no-
bilem.

Contrariũ

Hominis eſt viliſſimi, ingenij abjectiſſimi, naturæ turpiſſimæ, nul-
lâ duci gloriæ ac famæ nobilioris cupiditate, ſuntq; illi non habendi inter
nobiles, qui gloriæ contemnunt ſtudium, & homines ignaviſſimos vi-
demus hoc agere, ut quantum poſſunt, ſint omnium hominum infimi &
nullibi excellant, nullo excitentur laudis ſtudio.

NARRATIO. Verè pulcherrimus & generoſus dici poteſt ejusmo-
di animus qui gloriæ ac laudis ſtudio commovetur. Videas enim ab iſtis
pulcherrima facta. Quæ non pericula adeunt? annon vel ſanguinem pro-
fundũt, ut laudẽ lucrentur? Sæpius ex iſtis audias: Famam extẽdere factis,

Hoc virtutis opus.

Hi ſunt qui honoris ſtudio ducuntur, qui fugiunt voluptatum illecebras, tanquam peſtem quandam moleſtiſſima quælibet perferunt ſummâ animi conſtantiâ, famem ſitim, æſtum, frigora. Et ſatis ſibi videntur præmij habituri in unicâ laude &c.

Comparatio. Cum multa ſint animi generoſi ſigna præclara, nullum tamen præclarius eſt gloriæ ſtudio. Etenim & illi verè nobili animo ſunt, qui virtutis quodam amore ſingulari flagrant. Quid enim nobilius, quàm quod unicum à natura conceſſum eſt, in quo homines hominibus antecellant virtutis ſcilicet ſtudium vehemens & egregium: in eo exiſtere aliquem unum hominem qui pœnè omnibus alijs vel ſaltem plurimis palmam præripiat? Sed qualis hic amor virtutis eſſe poterit, niſi adjuncta ſit laudis quædam & per virtutem excellendi cupido ac ſpes, vix intelligi poteſt. Iterum qui opibus magnificis congerendis occupati ſunt, ſaltèm non nimis ſollicitè: hos generoſioris animi & digniores præ reliquis putant. Et non planè malè quidem, ſi ſaltem non pecuniæ amore, ſed uſus ſtudio inquiſitioni incumbant. Sunt enim pecuniæ magnarum rerum agendarum inſtrumenta ac nervi. Sed niſi adjungatur his laudis & honoris affectatio facilè frangent animum pecuniarum deliciæ, ad ignaviam & peſſimas ſordes abducent. Item qui imperare alijs valdè ſatagunt in his animus quidam agnoſcitur maior ac vulgi &c.

Γνώμη. Fingantur hic hominis ignavi & alieni à gloriæ ſtudio dicta & facta ſingularia.

Παρέκβασις. Cogitetur hîc ex quâ gente oriundi, qualibus parentibus, quomodo educati, quâ natutâ, quibus moribus & habitibus homines, cujus generis, quid agentes & patientes, quo loco & tempore ſoleant eſſe ignavi,

Νέμεσις. Monſtretur quàm turpis ſit ignavus nullo non dignus infortunio & calamitate.

Probatio, Inſtituatur à veriſimili & reliquis locis confirmationis.

INDEX QUIDAM LOCORVM COMMUNIUM.

Loci communes Oratorij infiniti ferè ſunt. Itaq; horum quandam ſummam cõficere maioris erit operæ, Interim tamen hi erunt maximè

generales & communes, in quibus exerceri poterunt iuvenes scribendis, ut quoties eorum usus erit, erit autem sæpius, habeant in parato.

Classis prima Virtutes morales & vitia.

1. De laudibus virtutis & viri boni in genere. 2. Quomodo vitium vel morum turpitudo, vel homo improbus in genere possit repræhendi. 3. De laudibus viri fortis in genere. 4. De laudibus hominis qui in ludis Palestricis aut equestribus præbuit fortitudinis suæ specimen. 5. De laudibus militis, qui vel murum conscendit primus, vel hostes aggressus est, vel alia præclara gessit. 6. De laudibus Ducis qui Victoriam obtinuit. 7. De laudibus eorum, qui fortiter occubuerunt in prælio. 8. Quomodo meticulositas possit repræhendi. 9. Quomodo in fugientes è prælio sit invehendum. 10. Quomodo audacia nimia taxari possit. 11. Contra grassatores nocturnos, qui temerariè se periculis credunt. 12. Contra Thrasones, quibus Mars tantum in linguâ est. 13. De laudibus Temperantiæ in genere. 14. De laudibus Castitatis in genere. 15. De laudibus perpetuæ virginitatis. 16. De laudibus Sobrietatis. 17. De laudibus jejunij. 18. Quomodo repræhendi possit intemperans in genere. 19. Quomodo reprehendi possit libidinosus & libidines. 20. Contra adulterium. 21. Contra Incestum. 22. Quot modis turpis sit ebrietas. &c.

Classis secunda, Virtutes & vitia intellectualia.

1. Locus, de laudibus eruditionis universim. 2. Invectiva in Imperitos & rudes literarum. 3. Invectiva in contemtores & hostes eruditionis. 4. De laudibus literarum humaniorum. 5. In contemtores earundem. 6. De laudibus Philosophiæ &c. 7. De laudibus Theologiæ, Medicinæ &c. 8. De laudibus Prudentiæ. 9. De laudibus artium.

Δευτέραι Φροντίδες

Vel

Altera expositio.

Definitio Genus. DEfinitio Loci communis habet partes duas: 1. genus Oratio, id est, verba multa, & propositionum quidam contextus. Sunt autem in loco communi duo genera propositionum: primum est quædam quasi conclusio, e. g. Temperantia est quædam conser-

vatrix non reliquarum virtutum tantum, ſed totius naturæ humanæ. 2. Reliquæ propoſitiones iſtam declarant, repetunt, urgent, amplificant, probant. Et hoc totum corpus propoſitionum ſic cohærentium appellatur locus communis, & eſt oratio vel multarum propoſitionum ad eundem ſcopum tendentium connexio.

Altera pars eſt DIFFERENTIA: extollens ea, &c. Conſtat pluribus membris. Primum membrum: BONA VEL MALA, quæ exprimuntur hoc genere orationis, vel loco communi, ea ſunt, juſtum, injuſtum: honeſtum inhoneſtum: utile, inutile. Secundum membrum: EFFERRE iſta bona vel mala, i. e. amplificare, ut grandia appareant. *Differentia.*

Tertium membrum ſunt RES, quarum bona vel mala efferuntur. Has dicit autor eſſe res quaslibet. Intelligendus autem eſt loqui de generibus rerum, ſive de rebus univerſaliter conſideratis. Nam oratio de rebus generalibus, e. g. Oratio de prudentiâ Ulyſſis, monſtrans, quam magna illa fuerit, item, de jra Achillis, Oſtendent, quam injuſta illa fuerit, non ſunt loci communes. Sed oratio in genere de prudentia, quanta hæc ſit virtus, item de jrâ, quàm graviſſimè noceat, & quantum damni afferat: Ita, inquam, generaliter inſtitutæ orationes ſunt loci communes.

Exercitium hoc eſt dictum Locus, quod hinc comparetur & inveniatur materies orationis dilatandæ. *Etymologia.*

COMMVNIS, quòd unus & idem in varias cauſas vel quæſtiones, ac diverſas ſcriptiones poſſit accommodari, ſcilicet, ſi ſemel meditatus ſis, & confectum habeas, e. g. de viro forti, de temperante, de magnifico &c. Item de mendacij turpitudine, de ebrietate, de ſuperbiâ &c. Sunt loci communes. Si habeamus hos tractatos, vel ſi de his meditati fuerimus orationem, poterimus ad varios accommodare uſus ſingulares hujus generis, ſive quoties habenda erit oratio de aliquo vel ad aliquem, qui ſit talis, ſive in judicio, ſive in deliberatione, ſive in laudatione.

Cauſa hujus communitatis eſt, quòd ſubjectum loci communis ſive res, cui bona vel mala ineſſe demonſtrantur, ſit genus quoddam, vel univerſalis terminus, e. g. Milites pleriq; ſunt jactabundi. Pauperes ſunt proclives valdè ad verecundiam & ſuſpicionem. Vir fortis eſt propugnaculum Reipublicæ. Hæ ſententiæ faciunt locum communem. Subjectum eſt terminus generalis. Miles, pauper, Vir fortis.

Quare quotieſcunq; inciderit occaſio dicendi de perſonis ſingulis, quæ ſunt hujus generis vel ordinis, utiles erunt, & apti hi loci communes.

DE TERTIO.

De usu Loci Communis in justo orationis corpore. Est propositio major. Probatio Major. Minor.

Est accessoria probatio

EST accessoria probatio, i.e. in iusto orationis corpore, in praxi & usu, ubi ad causas particulares adhibitus fuerit locus communis, habebit se, tanquam propositio maior, e. g. locus communis de sacrilegijs vindicandis adhibitus in accusatione cujusdam hominis sacrilegi (puta Verbis) est propositio major. Conclusio enim in hujusmodi accusatione est: Hic Homo vel Verres est severè puniendus. Sacrilegi enim sunt severè puniendi, vel in Sacrilegia gravissimè statuendum est. Hic autem vel Verres est Sacrilegus.

Dicit autem author: ACCESSORIA & SECUNDARIA probatio, quia primaria probatio posita est in propositione minori: hæc enim est potissimùm controversa in causis oratorijs. Quare cum hæc rectè se habet, quodammodò sponte suà sequitur conclusio: etiamsi non addita sit major, quippè naturâ suâ vel saltem ex ipso jure notissima, e. g. Si evidenter probatum fuerit, Verrem fecisse furtum, commisisse sacrilegia, sequitur ultrò esse puniendum, etiamsi non addatur major propositio, vel Locus communis, quòd omnis fur & sacrilegus sit supplicio afficiendus: quia hoc notum alias.

EST INSTAR EPILOGI, i. e. Habet eundem usum & officium idem, quæ sunt epilogi. Epilogus autem breviter in memoriam revocat, quæ prolixiùs sunt dicta toto orationis corpore: tum amplificat & grandia facit, demum excitat affectus, odium, iram, misericordiam, &c. In Loco communi fiunt hæc eadem, scilicet, quoties in justo orationis corpore intertexitur. 1. repetuntur, quæ dicta sunt, scilicet ad probationem minoris propositionis, sive delicta & peccata Rei, unde probabatur ejus sacrilegium vel furtum. 2. Eadem amplificantur, vel ostenditur, quàm grande scelus sit furtum & sacrilegium: quantum inde imminea t periculum Reipub. bonis moribus, singulorum fortunis: quàm multæ leges illud detestentur: fit comparatio ad reliqua scelera, & ostenditur, præsens hoc esse omnium atrocissimum. 3. Item in Loco communi conciliatur odium, invidia, ira Reo, misericordia læsis.

DE PARTIBUS LOCI COMMUNIS.

Exordium.

SUnt illæ octo Authori nostro: Prima EXORDIUM. In hoc excogitando adhibeantur loci illi usitati: Docilitas, Benevolentia, Attentio,

Docilitate admonebimur, ut dicamus summam rei, e. g. Sit locus communis de viro bono, potero igitur ex hoc loco invenire materiam exordij hanc scilicet: figura elocutionis, est προσλήψης sive assumptio generis. Omnia bona prædicanda sunt, & sic etiam virtus. Cum divinum illud Eloquentiæ donum in eum usum hominibus potissimùm concessum esse videatur, ut quæ cælitùs nobis à divina clementia contigerunt beneficia plurima, ea in hominum cætibus eloquentiæ facultate prædicentur, atq; exornentur. Nemini igitur dubium esse poterit, quin omnium rectissimè ad virtutis ipsius prædicationem ejus facultatis usus conferatur. *I. à docilitate.*

Quare cum mihi pro tempore & more nostro habenda ad vos esset oratio, virtus & hujus dignitas hoc sibi postulare jure quodam suo visa est, ut in eà exornandà hanc operam meam collocarem. De virtutis igitur pulchritudine admirabili, dignitate præcellenti, suavitate egregiâ, quantum quidem vel mea in dicendo infantia consequi poterit, vel rei ipsius amplitudo permittit, istâ horâ ad vos verba faciam.

2. Ex Attentione in mentem nobis veniet, dicere ea, quæ possunt excitare auditorem, & alacrem facere ad audiendum. Hæc sunt, si promittamus nos dicturos de rebus magnis, miris, novis, jucundis, proprijs, e. g. Sit idem locus communis.

Ex Attentionis loco possum hujusmodi materiam invenire: figura elocutionis, simile, vel comparatio. Si grata ea sunt Auditores, & libentissimis auribus audiuntur, quæ peregrè afferuntur, vel de præsidiis ad publicam utilitatem comparatis, vel etiam de nova inventâ & concessa navigandi & mercaturæ faciendæ ratione, unde insigne aliquod in universum christianum orbem derivandum commodum speretur: quantò jucundior meâ quidem sententiâ & gratior ea erit oratio, quantoq; lubentioribus auribus atq; animis percipietur, quæ non rumusculis vanissimis collectos nuntios, sed ex virorum sapientissimorum sententijs gravissimis observata judicia in medium profert, unde non facultatibus aut opibus lucellum aliquod accedere, neq; corporibus medicina fieri, sed ipsis animis nostris quàm optimè & saluberrimè consuli poterit &c. Alias Exordiorum varias formas, dabimus in Exercitiorum Materie.

DE SECUNDA PARTE.

Dicit author noster adducendum esse contrarium, i. e. propositiones principali quæstioni vel ipsi loco communi oppositas. Hæc sic inve- *II. pars, Loci Communis contrarium.*

niuntur, 1. ponitur locus communis, e. g. virtus est ingens quoddam in vita humana bonum. 2. inquiruntur termini oppositi contrariè & contradicenter, & bini binis copulantur. Hi termini sic inventi possunt variè copulari copiæ causa, e. g. primo contrarium contrario: Vitium est ingens malum in vita humana. 2. Contrarium contradicenti: vitium non est bonum in vita humana. 3. Contradicens contrario, ut: Quod non est virtus est ingens malum in vita humana. 4. Contradicens contradicenti: Quod non est virtus, non est bonum in vita humana. 5. possunt converti singulæ, ut: Quod est ingens malum in vita humana est vitium &c. 6. Possunt cum modo concipi singulæ. Modum autem appello terminos hos: Verissimum est, æquissimum est, justissimum est, e. g. Vitium esse ingens in vita humana malum verissimum est. Vel: omnes ita credere justissimum & in communem omnium salutem quàm optimè consultum est: nullum esse in rebus humanis malum pestilentius, ac gravius, quam vitiorum & scelerum contagionem. Sic autem proponuntur hæ propositiones oppositæ: inquiruntur synonyma terminorum singulorum, ne eædem voces sæpius iteratæ fastidium pariant, e. g. Verissimum est, Auditores, quod dixi, nec probatu difficile, virtutem ingens quoddam esse in vita humana bonum, & thesaurum præclarissimum. Ita enim se res habet, ut vitiorum & malorum morum peste & contagione nullum videatur malum esse grandius, quo misera hæc vitæ nostræ conditio vehementius affligatur & vexetur.

Quâ formâ orationis, proferenda sunt contraria.

Propsitio prima, ipse locus communis.

Propositio contratia 1. Vitium est malum.

2. proposit. Vitium non est bonum.

3. proposit. Quod non est Virtus est malum.

4. propos. Quod non est Virtus non est bonum.

Neq; enim dubium cuipiam esse poterit, quin scelera & flagitia non sint in earum rerum numero habenda, quæ in ornamentum humani generis divinitus à naturæ authore Deo extiterunt, & etiam nunc conservantur.

Ubi enim virtus abfuerit, ubi à virtutis & honestatis ratione vel paululum discessum, declinatumq; fuerit, nemini obscurum esse poterit, quin insignis quædam & authori istius facinoris, & universæ humanæ societati pernicies creetur ac concilietur.

Nam si quid a virtute profectum non fuerit, aut hujus tanquam sapientissimæ gubernatricis opera & consilijs administratum: abesse non poterit, quin omnes judicent, non saluti sed exitio illud comparatum, non laudi, sed ignominiæ & dedecori attribuendum & assignandum esse. &c.

DE TERTIA PARTE
τῇ ἐκθέσει, vel Narratione.

NARRATIO est expositio rerum & factorum singularium. Videtur igitur non aliter convenire loco communi tractando, nisi ut hic ad personam referatur, vel de persona enuncietur saltem in genere, e. g. sit locus communis: Virtus est ingens bonum. Fortitudo est Reipub. propugnaculum. Ebrietas venenum quasi quoddam est, quod per universam Rempub. paulatim quasi serpens, & membra singula inficiens & corrumpens, tandem totum destruit corpus &c. Hi loci sic referentur ad personam, vel concipientur de persona in genere, e. g. Vir bonus est utilissimus Reipub. Vir fortis propugnator est communis salutis. Homines ebrij pessimè suo exemplo nocent, & alios ad similem turpitudinem alliciunt. *Quid sit narratio.*

Loco communi ita concepto, Narratio suscipitur de factis istius personæ, e. g. de factis viri boni, viri fortis, hominis ebrij & temulenti.

Facta autem afferuntur, quæ communiter ab ipsis committuntur, & vulgo quodammodo nota sunt, idq; descriptionis gratia, vel ut quasi ante oculos pingamus illud hominum genus, quos locus communis noster attingit. Finis est hujus descriptionis secundum Authorem, non ut doceamus, hoc est, rem ignotam auditoribus exponamns, quod aliàs fieri solet in narratione, sed ut commoveamus, i. e. excitemus auditorem, & erigamus in affectum aliquem, vel animi commotionem, e. g. ut benevolentiam & amorem conciliemus huic hominum generi, de quo in loco communi sermo est, e. g. virum bonum & fortem ita describamus, & ornemus secundum facta & virtutes, ut quam pulcherrimus & maximè amabilis appareat. Igitur si in loco communi mala considerabuntur, & homo nequam aliquis, narratio hæc instituenda est de contrario, e. g: in loco communi de Ebrietatis turpitudine narrandum erit de factis & institutis hominis temperantis vel sobrij. Iterum geminare hanc narrationem possumus: ut in loco communi aliquo, de malis moribus, pingamus illas notas aut ea facta quibus contemtus horum morum hominibus pariatur. Sin de moribus bonis institutus sit locus communi, hanc turpitudinis notationem accommodemus ad contrarium. Exemplum vide in Exercitio. *Hic facta narrantur quæ sunt characteres morum.*

DE PARTE QUARTA

DE COMPARATIONE.

IN hac inducitur ſimilis aliqua res, vel ſimilis aliqua perſona: & oſtenditur, pares vel minores eſſe cauſas, cur res in loco communi prædicata aut extenuata eodem modo, vel majori etiam prædicanda aut extenuanda ſit, e. g. ſit locus communis de viro bono, comparatio erit oratio, qua inducentur aliæ res aut perſonæ item commendandæ, & gravibus quidem de cauſis: ſed hoc eventu, ut vir bonus vel ijſdem, vel majoribus etiam laudibus dignus eſſ oſtendatur. Afferentur igitur in hac comparatione divitiæ & honores, & imperia, item homines iſtis fruentes bonis, & oſtendetur, quid in illis ſit commodi. Poſtea verò ſubjungetur invirtute & viro bono & eadem & majora eſſe commoda. Idem ſit locus communis de Ebrietate. Hic in comparatione adducentur res & perſonæ item reprehendendæ, e. g. fures, latrones, ſcurræ, avari, & quicquid præterea eſt vitioſorum ac nequam hominum.

In his oſtendetur. 1. quanta inſit turpitudo, & quàm graves reprehenſionis cauſæ. 2, Eædem cauſæ monſtrabuntur ineſſe, atq; adeò etiam majores in ebrietate, & homine ebrio. Eſt vero etiam aliud ſimilium genus: ubi comparantur ſcilicet res toto genere remotiſsimæ: ut inanimæ & brutæ (in quibus nulli ſunt mores) cum intelligentibus; ut ſi comparem corvum cum adulatore, aurum cum veritate. Ubi ſunt excogitandæ plurimæ ſimiles rationes, vel plurima ſimilia & quæ utriſq; attribuuntur prædicata. e. g. corvus ater, item adulator: corvus avis omnibus inviſa, ſed qua tamen domeſtica delectamur: item adulator. Corvus præ voracitate etiam fæda ſectatur cadavera, adulator item turpem quæſtum, &c. Hæc perſuadendi vim habent, ſi ingenioſè excogitaveris ea quæ non cuilibet inpromtu fuiſſent & ſic benevolentiæ facultate, qua acumen dicentis complectitur auditor, in ſententiam noſtram adducitur.

DE PARTE QUINTA

DE GNOME.

ΓΝώμη, i. e. ſententia, eſt terminus artis, i. e. orationibus proprius. Et ſecundum authoris noſtri interpretationem eſt reprehenſio opini-

onum

onũ ejus, adversus quẽ institutus est locus communis. Locus communis autem est vel de re malâ, e. g. Ebrietate: sic hac parte reprehendentur opiniones hominis ebrij, Vel est de re bonâ, e. g. de viro forti aut bono. Hic reprehendentur homines contrario vitio affecti, e. g. honines mali & audaces vel timidi. Opiniones autem sunt sententiæ, quæ ad speciem honestæ videntur, & ipsi authori graves ac ponderosæ, quibus peccatum suum defendit, aut prodit, sed revera sunt ridiculæ ac falsæ, & tales hac parte proponuntur, e. g. sit locus communis de Ebrietate; Gnome vel fictio opinionum erit talis. *Gnomæ vel opiniones ebriorum.*

Mirum autem videri cuiquam poterit, neq; id injuriâ, quomodo & quibus consilijs vel hominum quispiamratione certâ & mente imbutꝰ eò adduci poterit, ut pessimo hoc turpitudinis genere, ebrietatis dico, non tantùm ex aliorum hominum secundum rationem & honestè viventium societate se segreget, sed & ad porcos, & alias bestias sordidissimas morum similitudine sese abjiciat: Magis verò hoc mirari liceat, si etiam illud accesserit, ut ratione aliquâ imbutos & persuasos ad eos mores applicasse animum, in iisdemq; adhærescere audiat. *κατάστασις vel præmonitio* Nimirum ajunt, vitam humanam molestiarum plenissimam sufferri non posse, nisi aliquid aliquando genio & animo des. Nullæ enim unquam tantæ vires, nullius rei tam benè firmæ facultates deprehensæ sunt, quin eædem facilè absumantur, nisi detur aliqua â labore vacatio. *I. opinio*

Honesta sanè ratio, & quæ tantoperè reprehendi non posset, saltẽ si ad ipsos quicquam pertineret, & non jure pessimo, vi & fraude pertraheretur. Quasi enim non aliæ essent honestissimæ delectationes, quibus â molestia laborum interquiescere possimus, ut ad porcinas istas delicias abeundum sit. *Iudicium, vel solutio* Igitur ab hoc præsidio deturbati bibones nostri istuc confugiunt, ut dicant, esse necessariam, & quàm maximè honestam vivendi rationem, ut non tibi soli vivas, & instar noctuæ domi & in tenebris delitescas, sed in hominum conspectum ac lucem prodeundum esse, captandos congressus sociorum atq; æqualium, & eos quidẽ frequentissimos, ut ex horum turbâ ac numero, quos satis diu exploraveris bonos & candidos, & quorum tibi in omni vitâ usus quàm honestissimus ac utilissimus esse poterit, eos amicos certissimos tibi deligas ac devincias. *II. Defensio vel opinio.* Nullam autem vel commodiorem vel minus molestam occasionem esse aliorum animos explorandi, quàm inter pocula, ubi omnis abest simulatio, ipsa quodammodò pectora & animus intimus in-

trospicienda dantur, Præterquam quòd ex illa jucundissima conversati-one mores poliuntur singulari quadam humanitate atq; affabilitate: Ex sententiarum collatione crebra, nescio quomodo, nihil te sentiente prudentia quadam & rerum peritiâ animus imbuitur, ut plures ex tabernis & communi hominum societate prodierint gnavi & industrij, quiq; negotiis gravissimis rectè præficiuntur, imò quibus summa sæpè Reipub. commendata est, quàm ex philosophastrorum scholis & disciplina.

Iudiciū de hac Secūda sententia.

Sed neq; hæc defensio hominum planè ebriorum & poculis obrutorum: verùm sobriorum aliquantum, & nonnihil sapientium videtur, adeò acumen quoddam habet. Veruntamen nescio quid vini olet, & mentem istis turbatam, ac præ crapulâ titubantem arguit, Quid enim an non pulcra hæc ratio est ineundæ amicitiæ,& animorum explorandorum, inter pocula scilicet? ut nempè ipse tibi prius mentem eripias, atq; omnem adimas sanæ rationis usum, quam, quid alius sanæ mentis habeat, explorare possis? an non hoc est oculis te privare, ut eò acutius videas? Eadem amentia est, ex hac turbatissima vivendi ratione prudentiæ aliquem usum sibi polliceri. At mea sententia si inter pocula, inter homines ebrios, & vino onustos, imò præ cibi, potionumq; copia nimia ingurgitata insanientes, prudentia aliqua addisci potest, omninò consultius esset, vel saltem tutius & securius ad haras porcorum, vel ferarum spelæa & latebras prudentiæ acquirendæ causa diverti. Quippe cum inter has feras bestias non minor rationis exercitatio, fastidium certè fædissimi fœtoris, & periculum vitæ ac salutis longè minus exstat.

Tertia sententia.

Si igitur hoc fas, jusq; est, idq; Cereri & Baccho hujus gentis Deunculis placere potest, ad ipsa mystica sacra combibonum nostrorum irrepamus; sive has attendamus facti sui, & instituti defensiones, quas dum sacris suis operantur, vel benè jam poti sunt, dictitant: Ibi ex illis audies Quis scit, an hæc unquam sit reditura dies? Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Et principes habemus hujus nostri ordinis socios. Quid enim aliud in aulis agitur, quàm ut poculis certetur? Rusticorum est opus facere, mercatorum pecunias colligere, concionatorum de extremo judicio prædicare, senum insomnes noctes diesq; ducere, & nobis sibiq; bene precari. Nos quibus non ita gelidus obstat circum præcordia sanguis, qui generosioris sumus naturæ, qui plenum turgentibus spiritibus ferimus pectus, quibus integra adhuc ætas est, quid itane miserè prodemus hanc ætatulam nostram? vel quovis malo digni essemus. Quin po-

tius dum messis nostra in herba est, dum flos novus & nova pubes: curemus cutem, genio nostro aliquid demus, & fruamur annis nostris, illaq; occasione voluptuosissima. Rideamus interim stultitiam vûlgi pessimè defraudantis genium suum, ut magnos pecuniarum acervos construant. Quorum si nobis libeat stoliditatem æmulari, quis tandem mundus & quæ locorum capacitas tot nummis congestis sufficiet? aut quæ illorum cumulorum demum utilitas erit?

O capita non leviter stolida, sed quàm maximè & pessimè insana, istos ne homines, quid autem dico homines, istàs ne bestias volui dicere, & pecudes in luce hac, quâ divina benignitate fruimur, ferendas esse, quæ & in ipsum autorem lucis adeo existunt ingratæ, & ipsa luminis ac vitæ usura istac nequissimè abutuntur, ut vita sordidissima atq; impurissima Deum abnegent, non hominum tantum sed creaturarnm plane nomine indignos se efficiaut? *Iudiciū de hac sententia.*

Hine digni sint, qui homines appellentur, qui in diem vivunt, ventri suo, non alicui honestæ occupationi productos se putant? An creaturarum titulo ipsi se non exuunt, qui inficias ire non possunt, Deum nihil ab opere vacuum voluisse, quodcunq; in rerum natura produxerit? ijdem tamen fatentur non inviti, posse se nulli vocare operi, sed ad otium & molliciem sibi videri progenitos. &c

Altera descriptio gnomes.

Potest vero etiam aliter institui gnome. Scilicet in partem bonam & commendationem, ut exponas opiniones & sententias eorum hominum bonis moribus præditorum, de quibus est locus communis, òpiniones, inquam, honestas, & quæ adjungant illis auditorum benevolentiam. Exemplum vide Exercitio 2. & 10.

DE PARTE SEXTA.

HAc parte criminamur vitam hactenus actam. Refertur igitur hæc pars item ad personam, vel hominem in genere, de quo mentio fit in loco communi, & quidem in partem malam.. Fitq: criminatio hæc ex conjecturis, i. e. ex ijs, quæ verisimiliter accidunt circa personarum circumstantias, e. g. objicimus illi parentes vel probos vel improbos. Si probi fuerint, criminamur, quòd honestam famam parentum filius degener vitæ turpitudine contaminet. Si parentes fuerint improbi, damus illi hoc probro, vel invehimur in parentes ipsius, & dicimus ad istorum *παρέκβασις, Egressio.*

improbi-

improbitatem filium sua etiam scelera, vel paria, vel etiam graviora adjecisse. Idem fit ex reliquis locis personarum in secundo progymnasmate expositis, scilicet objicitur educatio; Natura, mores, disciplina, & genus artis, officium & vitæ genus, socij, varia dicta, & res gestæ particulares, fortunæ &c.

Hæc sunt particularia, sive uni singulari personæ conveniunt. In scribendo autem loco communi exercitij causa potest etiam fingi persona, & circumstantiæ item fingi, ut sic exerceamur in afferendis hujusmodi criminationibus. Sed possunt tamen eædem etiam generaliter institui, scilicet, ut ex istis circumstantijs inquiratur causa, & occasio criminum principalium, e. g. sit locus communis de Ebrietate.

Criminatio hominis ebrij. *καὶ ἀγάστασις.*

Egressio igitur & criminatio generalis sic poterit institui, ut ex locis personarum dicatur causa & occasio, quare homines ebrietati dedant se, e: g. Multæ sunt causæ & insidiæ quasi ac tendiculæ, quibus homines ad turpissimum hoc vitium inescantur atq; illaqueantur. Præcipuæ tamen illæ mihi videntur, scilicet, parentum negligentia, educatio prava, natura improba, genus vitæ sordidum, socij nequam, sermonum obscenorum ac ridiculorum sectatio, & alia quædam hujus generis. Nam si parentes ipsi dediti fuerint luxui & crapulæ, mirum non est, liberos in dem vitium incidere. Et hic frustra fit, si præceptis salutaribus omnem aditum ad luxuriem liberis intercludere annitaris, si authoritate, si gravi interminatione, si pænarum denunciatione deterreas, eosdem verò vitæ pravitate vel invitos pertrahas, quò omnes naturâ propendemus, ad libidinem scilicet.

Parẽtes itẽ ebrij-

Quod si parentes ab intemperantiâ quidem ac gulâ abstineant, alijs tamen vitijs affines sint, æquè difficile erit liberos in officio continere. Vix enim fieri poterit, quin animadversa inparentibus morum turpitudine, liberi aut contemnant illos, aut non seriò à vitijs se prohiberi credant, quibus tantoperè monitores suos ipsos delectari vident. Porrò etiam hoc contingit nonnunquam, ut vitæ integerrimæ homines existant, ijdem liberos educent sui quàm dissimilimos, & bipedum nequissimos Quod inde plerumq; fit, quia moll ter nimis atq; indulgenter sobolem suam habent. Quare etiam hoc diligenter cavendum est nequid hic titubetur, ne nimia lenitate fenestra aliqua ad nequitiam ætatulæ isti, sua spontè ad malitiam propendenti pateflat.

Parẽtes aliàs mali.

parẽtes probi.

Idem fiat in reliquis partibus vel locis,

De usu hujus partis in loco communi super re bona.

Est hujus partis usus etiam in loco communi super re bona, e. g. in loco communi de viro bono, de fortitudine, de pietate &c. talis scilicet, 1. ut accommodetur egressio vel criminatio ad eum, qui contrarijs moribus præditus est, e. g. criminemur vitam anteactam, vel circumstantias viri improbi, ignavi vel audacis & impij. Vel dicamus, quomodo â parentibus, quomodo in educatione, quomodo in naturæ proclivitate & reliquis peccetur, unde postea, tanquam ex radice venenata pessimi isti mores, tanquam viperea quædam proles suppullulet & progeneretur. possumus tamen aliter etiam accommodare Egressionem, nempè ut faciamus locum contrarium, sive criminationem cõvertamus in Encomion, & prædicatiomem, & dicamus hac parte laudes ejus personæ, vel ejus generis personarum, de quibus in loco communi agitur, e. g. Dicamus, ex quibus parentibus, & qua educatione, natura, moribus, genere vitæ & reliquis existant viri boni, viri fortes, & homines pij.

DE SEPTIMA PARTE
DE PRÆCISIONE MISERICORDIÆ.

Misericordia est animi commotio, quâ turbamur alienis malis, & condolemus, & propterea ad juvandum eum propendem us. Excitatur Misericordia his tribus capitibus 1. si quis ostendatur nobis esse conjunctus, i. e. ejusdem ordinis, sanguinis, gentis, aut aliud quid habere commune, 2. si ostendatur indigna quæq; pati, quòd vir bonus sit, quòd eventus sint insolentes, calamitates multæ, grandes, inusitatæ, adversarij & hostes improbi. *Misericordia unde excitetur.*

3. Ut ostendatur, nobis metuendum esse idem, aut simile calamitatis genus, qui item simus infirmi & homines, aut ejusdem conditionis, aut pares habeamus hostes, aut saltem communi fortunæ subjiciamur. His igitur locis uti poterimus, ubi in loco communi pro viro bono deprecandum fuerit. Author noster jubet uti nos non misericordiæ commotione, sed præcisione vel denegatione. Igitur præscribit saltem, quis sit hujus partis vel misericordiæ usus adversus homines improbos, nempè deneganda est misericordia, vel præcavendum ab oratore, ne erga istos Auditores misericordia tangantur. Hoc igitur effici poterit modis contrarijs, nempè ut reus sic describatur, 1. quasi qui nihil nobiscum com-

nunc habeat, aut parum saltem, & illud tenue. Vel qui nobis sit hostis & adversarius, & hostilia adversus caput & fortunas nostras aut nostrorum machinatus sit. 2. quasi qui digna patiatur, quippe improbus, & exilia, & ab hominibus non injustis. Vel utatur ac fruatur fortunis & felicitate, honoribus, opibus, benevolentia hominum, peccandi impunitate indignâ & injustâ 3. quod ea patiatur. à quibus nihil nobis metuendum sit. Vel quod ab hujus impunitate & potentia metuenda sit magna nostra & Reip. pernicies.

Figura elocutionis in hâc parte, hæc observetur, crebræ imò perpetuæ exclamationes. Deum atq; homines obtestemur, indignissimè factum. II. Tum paradoxa ex antithesi contrariorũ, e. g. alios conservavit: à quibus perderetur. Nobis pacem comparavit: sibi inimicitias. Apud hostes securus fuit: inter amicos insidiis appetitus est. III. Apostrophe vel prosopopæia: qua alloquimur absentes, mortuos; item civitatem; vestes, gladium, Deum conquerendi causa; quasi præ animi consternatione &c. Et aliæ grandes ac turbantes figuræ.

DE PARTE OCTAVA vel LOCIS
Legitimo, Iusto, utili &c.

DE his locis duo sunt notanda, 1. quid sint, 2. quis sit usus eorum. Sunt autem uni & eidem cum locis confirmationis in sexto progymnasmate positis, nisi quòd hic paulò aliter enumerantur.

Legitimum est jus legibus comprehensum, & est pars honesti.

Iustum videtur hic generaliter usurpari pro omni honesto, vel eo, quod à virtute proficiscitur.

Utile quoniam hic distinguitur à Iusto vel honesto: itaq; intelligitur omne id, quod lucrosum est, vel lucrum affert, sive bonorum, sive pecuniæ, sive valetudinis, sive amicorum, sive alius boni hujusmodi.

Possibile est locus sexto Progymnasmate expositus, item Verisimile.

Eventus vel consequens est pars utilitatis, & comprehendit bona vel mala quoquo modo ad rem præsentem pertinentia, & ad eam evenientia.

Usus horũ locorum. Uti poterimus his locis, si aliquod fuerit in loco communi controversum & dubium, ut hinc auditoribus persuadeamus, e. g. sit locus communis de ebrietate.

Hic

Hic in tractatione hujus loci duo possunt agi, 1. ut enumerentur & amplificentur quæ sunt in ebrietate mala atq; incommoda, vel ut ostendatur, ebrietatem vitium esse quam turpissimum. Hoc efficitur reliquis partibus jam enarratis.

2. Potest & hoc de ebrietate probari, & peti ut ebrietati modus statuatur à Magistratu, decernantur pænæ ac supplicia in homines temulentos, arceantur è communitate civium & mores isti, & homines ijsdem polluti.

Hoc posterius habet controversiam ac dubitationem, quæ in deliberatione versatur, vel ad deliberativum causarum genus referenda est.

Hæc igitur controversia vel hæc petitio oratoris ex locis confirmatorijs muniri poterit, & sic non tantùm hi loci hic utiles sunt, sed universi illi suprà in quinto & sexto progymnasmate expositi.

Exemplum tractati Loci communis ex Locis confirmatorijs.

Quare ut tandem portum attingat oratio, optimè consuluerint Reipub. qui ad ejusdem gubernacula assident, si ferinos istos mores vinum cerevisiamq; ingurgitandi inter christianos non tantum non ferant, sed severissimis interdictis, & gravibus supplicijs ultra sauromatas & oceanum glatialem ablegent atq; exterminent. *Præmonitio vel Summa.*

Facerent certè hoc non ex divinarum tantùm legum authoritate, sed etiam humanarum quàm plurimarum & prudentissimarum. Semper enim in ijs Rebuspublicis, quæ sapienter institutæ fuerunt, immoderatus vini, potusq; usus severissimis legibus fuit coërcitus. Nota est pittaci clarissima illa ac pluribus jam seculis celebratissima Lex, ut si quid ab ebrio facinoris commissum esset, duplex pæna exigeretur, altera propter commissum scelus, altera propter ebrietatis admissam turpitudinem. Jam verò in sacris literis quam multæ ac graves, atq; adeò plenissimæ divinæ severitatis extant prohibitiones, quibus ab hoc maleficio omnibus ijs seriò interdicitur, qui in piorum numerum accivitatem quasi allecti & adscripti sunt. *Argumentum primum à legitimo.*

Hic subijciendi sunt loci ac testimonia sacrarum literarum, quibus ebrietas prohibetur. Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo ἀσωτία est, vel certissima pernicies. Galat. 5 Ebrij & temulenti non ingredientur

Regnum cælorum. Demùm hic etiam propositio Major addi potest, vel locus communis de autoritate legum divinarum & humanarum, & quanti intersit eas esse salvas, imò sacro sanctas.

Arg. II. à justo. Præterea etiam illud æquissimum est, ut è societate civium quàm longissimè ablegetur & amandetur, quo præsente Reipub. salus conservari non poterit: Et ut ille, qui vità improbissima plurimis nocuit, justã, quamvis ipsi acerbam, judicis sententiam experiatur: quid verò æquitati magis consentaneum est, quam ubi turpissimorum flagitiorum quoddam quasi incendium subitò extiterit, omnes cives, & Magistratum præsertim totis viribus agere, legum, interdictionum, ac suppliciorum gravitate ac pondere illud opprimere atq; extinguere, ne illa pestilentissima flamma universam Rempublicam pervolet, corripiat, depascat.

Arg. III. ab utili. Quare quoniam nemini dubium esse poterit, ad Reipublicæ conservationem pertinere, ne liberè grassentur vitia, ne libidines sint impunè, ne cuilibet liceat ex ingenio, & more suo vivere: & hoc facile erit judicare, magno Reipublicæ bono fieri, si immoderatæ illi perpotandi licentiæ tandem frena injiciantur. Præterquam enim quod hoc quam saluberrimum est Reipub. etiam ad plurimã ipsorum helluonũ utilitatem spectabit. His enim pænarum quasi stimulis ex veterno pigritiæ & ignaviæ excitati melius inposterum sapient, ex istimationi suæ, rei familiari, valetudini, familiæ, ipsi saluti, de quibus omnibus gravissimè, culpa sua periclitabantur, rectius providebunt. etc.

Octavum Progymnasma Laudatio.

ΟΡΟΣ ΕΓΚΩΜΙΟΥ.

Ἐγκώμιόν ἐστι λόγος ἐκθετικὸς τῶν προσόντων τινὶ καλῶν. Εἴρηται δὲ οὕτως ἐκ τοῦ ἐν κώμαις ᾄδειν τὸ παλαιόν. Κώμας δὲ ἐκάλουν τοὺς στενωπούς. Διενήνοχεν δὲ ὕμνου καὶ ἐπαίνου. Τῷ τὸν μὲν ὕμνον εἶναι θεῶν, τὸ δὲ ἐγκώμιον θνητῶν. καὶ τῷ τὸν μὲν ἔπαινον, ἐν βραχεῖ γίνεσθαι, τὸ δὲ ἐγκώμιον κατὰ τέχνην ἐκφέρεσθαι. Ἐγκωμιαστέον δὲ πρόσωπά τε καὶ πράγματα, καιρούς τε καὶ τόπους, ἄλογα ζῶα, καὶ πρὸς τούτοις φυτά. Πρόσωπα μὲν, ὡς θουκυδίδην ἢ δημοσθένην: πράγματα δὲ, ὡς δικαιοσύνην ἢ σωφροσύνην: καιροὺς δὲ, ὡς ἔαρ ἢ θέρος: τόπους δὲ, ὡς λιμένας καὶ κήπους: ἄλογα ζῶα, ὡς ἵππον ἢ βοῦν. Φυτὰ δὲ, ὡς ἐλαίαν ἢ ἄμ-

πέλον. Εγκωμιαστέον δὲ καὶ κοινῇ, καὶ καθέκαστον. Κοινῇ μὲν, ὡς ἅπαντας ἀθηναίους: ἰδίᾳ δὲ ὡς ἀθηναίων ἕνα. Ἡ μὲν οὖν διαίρεσις αὕτη τοῦ ἐγκωμίου. Εργάσαιο δὲ αὐτὸ τοῖσδε τοῖς κεφαλαίοις. Προοιμιάσῃ μὲν πρὸς τὴν οὖσαν ὑπόθεσιν: εἶτα θήσεις τὸ γένος, ὃ διαιρήσεις εἰς ἔθνος, πατρίδα, προγόνους, καὶ πατέρας: εἶτα ἀνατροφὴν, ἣν διαιρήσεις εἰς ἐπιτηδεύματα καὶ τέχνην καὶ νόμους: εἶτα τὸ μέγιστον τῶν ἐγκωμίων κεφάλαιον ἐποίσεις, τὰς πράξεις, ἃς διαιρήσεις, εἰς ψυχὴν καὶ σῶμα καὶ τύχην: ψυχὴν μὲν, ὡς ἀνδρείαν ἢ φρόνησιν. Σῶμα δὲ, ὡς κάλλος ἢ τάχος ἢ ῥώμην: τύχην δὲ, ὡς δυναστείαν καὶ πλοῦτον, καὶ φίλους: ἐπὶ τούτοις τὴν σύγκρισιν, ἐκ παραθέσεως συνάγων τῷ ἐγκωμιαζομένῳ τὸ μεῖζον: εἶτα ἐπίλογον, εὐχῇ μᾶλλον προσήκοντα.

Laudatio.

Definitio et nominum explicatio.

LAudatio vel encomium est oratio enarrans bona, quæ alicui rei insunt. Græcũ autem nomen inde originẽ traxit, quod olim in pagis & conventibus hominum hoc orationis genus decantaretur, pagos autem vel vicos Græci appellant κώμας. Differunt autem hymnus, Encomium vel laudatio, & ἔπαινος vel prædicatio, scilicet quod hymnus Deos laudat: Encomium autem tribuitur rebus mortalibus. ἔπαινος vel prædicatio est laus brevibus expedita. Encomium vero dicitur, si ex arte & operose laudes. Laudari verò poterunt personæ, Res, Tempora, loca, animalia bruta, & demum stirpes. Personæ, ut Thucydides, Demosthenes. Res, ut Justicia. Temperantia. Tempora, ut Ver, æstas, hyems. Loca, ut portus, horti. Animalia bruta, ut equus, bos. Stirpes, ut olea, vites. Porrò laudari possunt vel ipsa rerum genera vel res, individuæ seu singulares. Rerum genera e. g. Athenienses universim. Res singulares, ut unus aliquis civis Atheniensis. Et hæc quidem varietas occurrit in Encomio. Tractationis autem hæ possunt fieri partes. 1. Exordium sumatur pro re natâ & dato argumento. Postea ponatur genus vel origo. quæ partienda erit, in gentem, patriam, majores parentes. Hinc subjungetur educatio, quæ includit studia, artem, leges. Inde veniunt considerandæ actiones, vel res gestæ, quæ caput, sunt in laudatione. Has distribues secundum animum, corpus & fortunas: Ad animum referimus e. g: fortitudinem, prudentiam. Ad corpus, formam, celeritatem & robur: Ad fortunam, potentiam, divitias, amicos. Post hæc institui-

Secunda pars Objectum vel res laudanda.

3. Tractatio laudationis.

itur comparatio, quæ ex collatione rei alterius similis, majus aliquid infert de re in præsenti laudata. Demum attexitur Epilogus vel conclusio, quæ plerumq; votum habet.

ΟΡΟΣ ΨΟΓΟΥ.

Ψόγος ἐστὶ λόγος ἐκθετικὸς τῶν προσόντων τινὶ κακῶν. Τόπου δὲ κοινοῦ διενήνοχε, τῷ, τὸν μὲν τόπον ἐπάγεσθαι κόλασιν, τὸν δὲ ψόγον μόνην ἔχειν διαβολήν. Διαιρεῖται δὲ τοῖς αὐτοῖς κεφαλαίοις, ὥσπερ καὶ τὸ ἐγκώμιον, καὶ τοσαῦτα δεῖ ψέχειν ὅσα καὶ ἐγκωμιάζειν. πρόσωπά τε καὶ πράγματα, καιροὺς τε καὶ τόπους, ἄλογα ζῶα, καὶ πρὸς τούτοις φυτά. Ψεκτέον δὲ καὶ κοινῇ καὶ καθ' ἕκαστον. Καὶ προοιμιαζόμενος ἐποίσεις τὸ γένος, ὃ διαιρήσεις ὁμοίως τῷ ἐγκωμίῳ, καὶ τὴν ἀνατροφὴν καὶ τὰς πράξεις, καὶ τὴν σύγκρισιν, καὶ τὸν ἐπίλογον οὕτω θήσεις, ὡς καὶ ἐν τοῖς ἐγκωμίοις.

Vituperatio.

Definitio. Vituperatio est oratio enarrans mala, quæ alicui rei insunt. Differt autem à loco communi, quoniam in eo hoc agitur ab oratore, ut supplicio reus dignus demonstretur. In vituperatione autem sola spectatur reprehensio. Varietas autem rerum, quævituperationem incurrunt, hic eadem est, atq; in laudatione. Eadem enim genera rerum, quæ laudabantur, etiam vituperari possunt. Item hic vel ad ipsum genus universum vel ad res singulas licet vituperationem accommodare. Ubi exordium absolutum fuerit, enarrabitur genus, secundum, partes jam explicatas. Item educatio, & res gestæ. Demum instituetur comparatio, & ultimo loco conclusio adjungetur, ut præceptum est delaudationibus.

2. Objectū vel res vituperanda.

3. Pars. Tractatio.



Commen-

Commentatio
PROGYMNASMA OCTAVUM ET NONUM.
LAUDATIO ET VITUPERATIO.

De his trria Authot docet:

I. Quid sint.

II. Quodnam sit Objectum, vel quæ res laudentur aut vituperentur.

III. Locos, & Tractationem: vel unde res laudetur aut vituperetur, vel quomodo laudes illæ aut vituperatio proponenda sit.

DE PRIMO.

Quid sit Laudatio.

QUID sit Laudatio & vituperatio. Ut intelligatur quid sit Laudatio, tria dicuntur. I. Definitio. ἐγκώμιόν ἐστι λόγος ἐκθετικὸς τῶν παρόντων τινὶ καλῶν. Est oratio exponens bona quæ alicui rei insunt, Genus est, Oratio, scilicet composita ex multis propositionibus vel Oratoria. Differentia est, Bona enarranda vel excogitanda, quæ cuicunq; rei adsunt, de quo Oratori forte agendum est. II. Etymologia, vel origo nominis. Appellatur ἐγκώμιον Græcis quasi in pagis decantatum, nam κώμη significat pagum. Quia olim in convertibus decantabantur laudes. III. Distinctio quædam vocabulorum. Illa tria hic ponuntur. I. ὕμνος i. e. cantio, quo appellatur illa laudatio, quæ Deo tribuitur. II. ἔπαινος laus, quam dicit author noster convenire breviori laudationi & prædicationi. III. ἐγκώμιον quod dicit author noster convenire prolixiori & oratoriæ laudationi, Aristoteles I. Eth. c. 12. tria habet vocabula. Primum est μακαρισμὸς ἢ εὐδαιμονισμὸς, quem dicit esse si Deos aut homines magnos prædicemus. Secundum, est ἔπαινος laus, quam dicit esse propriam τῶν δυνάμεων i. e.

rerum

rerum quarum aliquis usus est aut utilitas: Tertium est ἐγκώμιον quod dicit esse proprium τῶν ἔργων operum vel actionum.

Quid sit vituperatio.

Duo dicuntur. I. Definitio. ψόγος ἐςὶ λόγος ἐκθετικὸς τῶν προσόντων τινὶ κακῶν. Vituperatio est oratio exponens mala quæ alicui insint rei. Genus est, Oratio scilicet composita vel oratoria. Differentia, sunt mala.

Differentia Loci communis à Vituperatione, incommoda. Differentia vera.

II. Distincto vituperationis à loco communi, sed incommoda, sic enim destingvit author à fine. Loco communi, scilicet hoc agere oratorem ut suplicio dignum Reum demonstres. Vituperatione autem solum spectare repræhensionem. I. Artem accidens est hoc loci communis, vel raro in eum finem scribitur locus communis, qui habet propositiones universales, non tantum de malis, sed bonis etiam practicis. Deinde etiam vituperatio institui potest ad demonstrandum supplicio dignum Reum esse, ut in accusationibus. Videtur autem sic differre Locus communis, non à Vituperatione tantum, sed etiam Laudatione: ut propositio universalis à particulari vel locus communis est quædam laudatio, & vituperatio universalis. Laudatio & vituperatio potest etiam esse quædam rerum singularium. Seu tandem: Locus communis est quædam Laudatio aut Vituperatio universalis. Sed qualis? vel quomodo differt? Respondeo; methodo vel aliis locis inventionis, non ipsa quæstione.

DE SECUNDO.

Sive Objectum Laudationis & Vituperationis.

Omnis generis rei practicæ possunt laudari aut vituperari, quibus scilicet insunt bona aut mala. Illa enim exponere est laudare, hæc commemorare est vituperare. Numerat aliquas exempli loco Author. 1. Personæ possunt laudari i. e. homines omnis generis atq; ordinis, ut Thucydides, Theognis, Aristoteles etc. 2. Res scilicet aliæ præter hominem, ut qualitates ille vel virtutes. Justitia, Temperantia, Sapientia, eruditio, bonæ literæ. Item forma & venustas, & joci causa, Stulticia, Deformitas, paupertas, etc. 3. Tempora, ut ver, æstas etc. Infantia Iuventus etc. Aureum seculum. 4. Loci, ut portus, horti, sylvæ,

ſempe 5. Animalia bruta, ut equus, bos, aſinus. 6. Stirpes, ut olea, vitis &c. 7. Aliquando genera ipſa laudantur: aliquando Individua, Genera ut homines vel Athenienſes. Item arbores & horti, & juvenes. Individua, ut hic homo; hic Athenienſis, hic hortus. Et omnino cujuscunq; generis rerum uſus aliquis eſt in vitâ humana, eæ laudari poterunt: itemq; vituperari.

DE TERTIO.

Vel Tractatio Laudationis & Vituperationis.

PARTES ab authore noſtro quatuor ponuntur: Exordium, Loci Inventionis, Comparatio, & Epilogus.

I. Exordium hic non habet peculiarem inventionem aut Tractationem: Poteſt excogitari & proponi ex illis quæ ſupra dicta ſunt ad progymnasma 5. & 6.

II Loci dantur ab authore noſtro tantum perſonalis, ſive unde perſona laudari aut vituperari posſit. 1. Genus vel origo, quo refert gentem, patriam, majores, parentes. 2. Educatio, quam dicit trium eſse partium, author. 1. ſtudia hic conſiderari i. e. inclinationes naturales, tum exercitia primæ ætatis & genus vitæ. 2: artem, i. e. haibtus intellectuales. 3. Legem i. e. habitus morales quomodo ſecundum ac contra leges, i. e. honeſtatem legibus comprehenſam, vixerit.

III. Actiones. Has dicit author eſſe præcipuum, caput Tractationis & trium generum eſse actiones. 1. Genus, actiones animi, ut quæ ſunt à fortitudine aut prudentia profectæ. 2. Genus, actiones corporis: ut ſi quis forma aut venuſtate ſua aliquid effecit. Si roboris & celeritatis edidit ſpecimen &c. ubi corpus concurrit & medium eſt, & quidem maximè neceſſarium. 3. Genus, actiones fortunæ, in quibus uſus ſpectatur rerum à fortuna vel externa cauſa obtingentium. Ut quomodo quis uſus ſit poteſtate ſua vel magiſtratu & honore, divitijs, familaritatibus &c.

Supra in ſecundo Progymnasmate Perſonarum locos diviſimus: & alij aliter dividunt. In plures autem partes diviſi, majorem ſuppeditabunt argumentorum copiam. Uti autem locis iſtis quibuscunque ſic poterimus. 1. Quæ ex illis Locis perſonæ in præſentia conſideratæ ad- *Alia locorũ diſtinctio. Uſus horũ locorum.*

 ſint,

fint, exponamus, e. g. David Patrem habuit Isai: filium Absolon, & Ammon pessimos etc. 2. Describamus, e.g. Isai fuit vir probus & honestissimo inter suos loco &c. Absolon insigni pulchritudine Juvenis, qua tamen ad nequitiam abusus est. Ammon ætatis vitio turpi sororis amore illaqueatus tùm corruptus pravo consilio Jothani, pietatem & vitam. 3. Accommodemus. Accommodare autem est probare quod hæ laudes vel hæc vituperatio circumstantiæ istius, pertineant ad personam, de qua agimus principaliter. Ut quod David sit inde laudandus, quod talem habuerit Patrem, aut filios. Hæc accommodatio fit vel directè vel per, inflexionem. Directa accommodatio est, ex qua hoc immediate colligitur, quod persona illa, de qua principaliter agimus sit laudanda. Et hoc fit per Locum communem, in quo idem est major terminus, qui est in quæstione. e.g. in præsenti themate: David est laudandus &c. qui nati sunt ex parentibus pijs & honestis pleriq; evadunt similes. Hæc directa accommodatio habet locum, si circumstantiæ habeant se eodem modo, quemadmodũ thema, i.e. Si in laudatione sint bonæ circũstãtiæ, in vituperatione circũstantiæ malæ. Deinde notandũ cũ loc9 iste, cõmunis plerũq; dubius sit & ex parte verus, includenda est præoccupatio, eg. Sic: Quamquam accidit, ut ex optimis parentibus nascantur filij degeneres ac pessimi, tamen sæpius fit, ut parentes pij atquæ honesti similem moribus suis sobolem educent. Et hic adijcienda est causa quædam, ut quod Parentes pij sedula ac sollicita educatione pravitatem istam naturæ nostræ corrigere satagunt, & ad præceptorum honestissimorum inculcationem etiam exemplum suum præclarum adjungunt. Deinde promissiones divinas habemus illustres quibus Deus pollicitus est singulari sibi curæ fore semen piorum.

Accommodatio inflexa. Accommodatio per Inflexionem est, quando circumstantias contrariè se habentes ac postulabat thema, in alteram partem inter pretatione inflectimus. Contrarie se habentes, i. e. in laudatione malas, in vituperatione bonas. In hac accommodatione non ipsum immediatè thema concluditur, sed media quædam Propositio inter thema & oppositum hujus e. g. David est laudandus. Opp. Non est laudandus vel vituperandus, Medium: Non est tantoperè vituperandus, est venia dignus excusandus. Aliquando tamen in hac accommodatione indirecta, utimur istis circumstantijs contrariè se habentibus ad amplificationem scilicet, se ipsius rei veritas aliunde jam constet. eg. David habuit

pessimos

pessimos filios, Inde concludo fuisse ipsum ei constantiorem in pietate & verum patientissimum qui quidem digna severitate animad verterit in improbitatem filiorum, nihil tamen indignum sua pietate erga Deum & liberos admiserit

Locus communis hic fit ex illis, quæ communiter accidunt istis circumstantijs: aut ex ijs etiam quæ accidunt huic personæ, e.g. Ex illis quæ communiter accidunt: David habuit, filios improbos &c. Sed nostis ita accidere, ut ex optimis Parentibus nascantur filij degeneres. Item ut parentes, etiam si faciunt officium in liberorum educatione, tamen hanc experiantur calamitatem, ut degenerent liberi in mores pessimos. Itaq; hæc Davidi non poterit probro dari. Ex illis quæ accedunt præsenti personæ. e. g. Nihil intermisit David, quod putabat pertinere ad rectam liberorum institutionem, qua fuit pietate. Piorum enim hominum hoc est tum parentum verè amantium liberos. Item ex persona Absolomi. Erat ferocioribus moribus & præterea callida, noverat parentem fallere simulatione probitatis. Hujus modi autem genera si tractes, facere poteris locupletissima.

Tertia pars Comporatio. De hac parte ex professo docetur in proximo progymnasmate. *Coporatio.*

De quarta parte. Epilogo. Epilogi quatuor officia sunt, si prolixè & secundum artem tractetur, de quibus supra dictum est in Progymnasmate 7. memb. 2. Author noster dicit, Votum hic habere locum. Votum autem est. forte, quo optamus amplius nobis dari tempus: Habere enim nos plura, quæ dicamus de præsenti negocio. *Epilogus.*

EXERCITIUM.

ORATIO Achilophetis Panegyrica, qua laudes novi Regis dicit Absolomi. Habita in conventu solenni universi Israelis post electum Absoonium Regem, anno conditi mundi. 2920. *Laudatio Absolonis.*

Exordium caput benevolentiam à mentione pietatis & fecilitatis Israelitarum. Propter potissimum causas hodie confluxistis veri Israelitis: Primum quidem ut Deo Israelis Opt. Max. solennes gratias ageretis, quod cum hactenus annis aliquot defuncto scilicet rebus suis sene nostro Davidè; mulierculis & insanis quibusdam hominibus, dicam enim quod res est, servierimus, nunc tandem in libertatem vindicati si-

mus,

mus, haud equidem sine mente reor, sine numine Jovæ: & regiones nostræ iterum rege suo i. e. capite, corona ac sceptro insignitæ, muro & turribus adversus omnium hostium insultus munitæ sunt. De tanta felicitate ut hodiè Deo gratiæ agerentur, & vobis gratularemini, decretum est, idq; vos convenistis. Altera deinde causa est Panegyridos hujus, ut nubeculam quandam seditionis pessimorum hominum, qui hanc felicitatem Israeli invident, & sub pallio Davidis senis nobis imperare mallent, quam Absolomũ: Ut has inquam scintillas & seditionum semina maturè, manu atq; omni vi armorum opprimamus ac suffocemus. Sed de belli quidem apparatu post consultabitur, nunc autem ut gratulationes vestræ, & supplicationes Deo faciendæ, eò alaciori à vobis animo suscipiantur, dicam breviter quas causas justissimas habeamus nobis gratulandi de Rege novo verè divinitus non concesso tantum, nec proceritate corporis solum, ut Saulus, sed multis illustrissimis, naturæ, ingenii, atquè alijs ornamentis & insignibus, quasi digito quodam DEI monstrato.

Laus Absolomi. Locus 1. origo. pars 1. gens. Accommodatio I.

Atq; ut unde natura ipsa initium Absolomo dedit, indè etiam principium capiat oratio: Gentem Rex Absolon nobiscum communem habet, ex Israelitico populo natus.

Quam magnam semper duxit felicitatis suæ partem, quod scilicet esset ex eo populo natus, quem DEUS sibi peculiarem multis ac magnis beneficijs quasi coëmit: qui cum fœdera tam sanctissima iniit, erga quem tantis ac tam stupendis miraculis suum amorem testatus est. Hic poterunt repeti historiæ ex Moyse & sic describeretur gens.

Accommodatio, II.

DEUS apud Moysen præcepit vobis, Dev. 17. 15. ut constitueretis vobis Regem de numero fratrum vestrorum: Non poteritis inquit, alterius gentis hominem vobis Regem facere, qui non sit frater vester. Hic nunc meritò vobis gratulari debetis secundum divinam hanc legem datum vobis esse hodie Absolomum Regem sangvinis vestri, natum ex sancto illo semine Abrahæ, gente ac populo benedicto.

Secunda pars Tribus.

Dicatur sic porrò de reliquis, ut 2. de tribu, Juda scilicet 3. De regione Juda. 4. De urbe Hebron, ubi natus est Absolon. 5. De majoribus usq, à Semo filio Noachi: hujus filius Arphaxad, hujus Salech, hujus Heber Videatur Gen. 11. v. 10. &c. Si qui sunt inter hos maximè illustres, in his immorandum est, ut in Abrahamo, in Juda, primo

Tribus hujus authore. 6. De patre Davide prolixè dicatur, & meritis erga Remp. Sed querela adjciatur de ætatis infirmitate, qua factum sit, ut cùm non posset amplius rebus suis superesse, pessimi quidam homines & nequissimi sibi imperio usi sint pro libidine: Unde res regni neglectæ &c. & enarrentur incommoda. Neq; hoc tantum, sed imperium planè justis hæredibus eripere conati sint nisi prudenti consilio in tempore prævenisset Absolon. 7. De Matre, 2. Reg. 3. v. 3. 8. De Avo materno & familia materna. vel de regibus Gessur, Syris & de terra Syriæ. 9. De fratribus singulis. 10. De sorore Thamar. 11. Absolon Ammone mortuo, & Cheleabo; est primogenitus filius, 2. Reg. 3. Dici hic poterit de jure primogenituræ. 12. De cognatis patruelibus, Joabo, Jonathane, Husaele, Sic porro dicatur de reliquis, de natura, educatione moribus, habitibus, uxore, liberis, subditis, locis, & regionibus, quas obierit, de ætate, de divitijs, de exercitu. Item de rebus gestis, de fortuna. *inflexio.*

Comparatio fiât Absolomi cum Salomone, &c. Item cum Davide, hi postponantur.

Peroratio 1. repetat pleraq; capita laudis, per formam precum ac voti, eg. Justas igitur habetis causas cur Deo agatis gratias, de Rege, tantis donis ornatissimo. 2. Moveat odium & invidiam Davidi & ejus socijs.

Admonitio. 1. Singulæ partes seorsim sic debent tractari, ut diximus, ut nominentur, describantur, vel in meliorē vel pejorē & partē & prolixè: & demum accommodentur. 2. Quæ sunt minoris momenti, has possumus multas simul complecti, vel singulas quidem nominare & seorsim exponere, sed non describere, vel saltem non prolixè describere. 3. Varietatis causa accommodatio aliquando præmittenda, aliquādo ultimo loco subijcienda, aliquando interponenda erit inter nominationem & descriptionem. 4. Item aliquando omitti poterit accommodatio.

EXERCITIUM ALTERUM
Vituperationis.

ORATIO Invectiva Joabi, summi exercituum Ducis in Israele in Absolomum: habita cum Joabus educeret exercitum contra Absolonium; ad milites. *Vituperatio Absolonis.*

Exordium moveat dolorem à ſtatu præſentis temporis, quo univerſus Reip. ſtatus turbatus Rex à filio dejectus, omnes quaſi in exilio vivant cives, veri quidem & amantes Patriæ. 2. Moveat odium Abſolomo. Harum turbarum omnium author Abſolon. Hic fiat initium invectivæ. Utatur ijsdem circumſtantijs, ſed deligat eas, quæ malè ſe habent; & in his immoretur. Quæ benè ſe habent: has per Inflexionem accommodet: & multas ſimul complectatur.

Comparatio. Comparetur Abſolon cum Caino, item eum Chamo & dicatur longe pejor eſſe, item cum puero Solomone.

Peroratio. 1. Repetat pleraq; capita. 2. Moveat miſericordiam erga Davidem. 3. Adhortetur ad fortiter pugnandum pro Patria & Rege.

ΔΕΥΤΕΡΑΙ

φροντίδες

Vel Altera Expositio

DEFINITIO LAUDATIONIS.

GENUS eſt oratio, i. e. complexum aliquod vel corpus orationis, multitudo ſententiarum oratoriè & artificioſè connexa ad unum quendam ſcopum, ſive unam quandam ſententiam vel quæſtionem principalem explicandam & evincendam. Differentia eſt; exponens bona &c. Hæc conſtat tribus partibus. 1. Subjecto, 2. Prædicato ſc: quæſtionis præcipuæ in laudatione. 3. Officio laudationis, vel opera & modo conſiderandi. Subjectum hic ſunt Res, i, e, quælibet quæ in conſiderationem Oratoris incidunt, quæ ſecunda parte enumerantur. 2. Prædicatum ſunt bona, quæ ijs rebus inſunt. Hic igitur eſt ſcopus quæſtio præcipua, in quâ elaboratur in laudatione, ſc: rem aliquam, puta Herculem aut Temperantiam, aut æſtatem, aut narem habere aliquid boni in ſe: vel ut communi uſu loquimur eſſe laude dignam. 3. Officium laudationis eſt, ea bona inquirere congerere exponere. Concluſio illa conſtituit propoſitionem: Expoſitio autem quæ eſt enarratio honorum, conficitur reliquo corpore. Secundum hoc offici-

um; differt laudatio à loco communi: Locus communis amplificat & grandia facit, non demonstrat vera esse vel verè adesse bona. Laudatio circa illud occupata est, ut adesse bona aliqua, & quænam adsint planũ faciat.

Definitio Vituperationis.

GENUS est oratio. Differentia enarrare mala, qua alicui rei insunt. Eædem hic partes quæ in laudatione. 1. Subjectum, Res quælibet, quæ oratoriam operam admittunt. 2. Prædicatum mala adesse alicui rei i, e, rem esse vituperio dignàm. 3. Officium vituperationis est exponere ea mala, vel enumerare, in plures partes dispergere, & quam multa esse ostendere.

De secundo sive Objecto.

OBjectum vel res laudandæ aut vituperandæ non includuntur certo genere, sed omnis generis res laudari, & eiusdem generis res vituperari possunt: quibus sc. bona insunt vel mala, quia illa exponere est laudare: hæc enumerare est vituperare. *Objectum.*

Autor noster enumerat aliquas exempli loco. 1. Personæ possunt laudari vel vituperari, e, g, cives, nobiles, rustici principes, mercatores, milites, studiosi literarum, senes, adolescentes, infantes, mulieres, mares, viduæ, divites, fœneratores, & quæcunq; sunt alij hominum ordines. Item singulares homines ut C. Julius Cæsar, Hercules, Pompeus, Cicero, Cato, D Maria virgo, Baptista Johannes, Herodes. 2. Res possunt laudari aut vituperari, quæ hic intelliguntur distinctæ & diversæ à personis, locis temporibus, rebus naturalibus. Res itaq; hic dicuntur virtutes & vitia, artes item & disciplinæ. tum opera hominum, item, actiones, & demum officia. Virtutes & vitia sunt, e, g, pietas, impietas, charitas, odium, misericordia immisericordia & reliquæ virtutes Christianæ cum vitijs oppositis. Deinde Fortitudo, ignavia, audacia. Temperantia & intemperantia & reliquæ virtutes morales. Artes & disciplinæ sunt: Theologia, Jurisprudentia, Medicina, Philosophia & artes Logicæ: Grammatica, Rhetorica, Logica, Poëtica. Item artes illiberates, Ars navigandi, venandi aucupium, ars piscandi, ars fa-

fabrilis', Sutoria, pistoria. Opera humana dico artificum inventa, ut pixidem nauticam, typographiam, pilam, domum, arces, civitatem, scholam, gladium ephippium. Officia appello varias hominum functiones, ut Magistratū, ordinem Ecclesiasticum, conjugium, cælibatum, vitā privatā, vitā publicam vitā Scolasticā, vitam monasticā.

3. Tempora possunt laudari aut vituperari, ut ver, æstas, item infantia, pueritia, adolescentia, vita juvenilis. Item secula priora vel nostra ætas aut Memoria. Item dies festi, ut Bachanalia, Saturnalia, Megalesia, item nostri festi dies, nativitatis Dominicæ, paschatis, pentecostes, item dies caniculares, item possunt institui laudes de nocte, crepusculo, vespere, meridie, & quæ præterea sunt temporum discrimina. 4. Loca possunt vituperatione aut laude affici. E. G. regio aliqua, ut Germania, Italia, palestina, vel terra Cānaan, America. Item civitates, Athenæ, Roma, Hierosolima, Babylon. Item domus vel ædes privatæ, arces, agri sylvæ, horti, pascua, prata & Regia solis &c. 5. Animalia, bruta ũt vulpecula, Elephas, Equus, Simia, muscæ, apes &c. 6. Stirpes, herbæ omnis generis, arbores, frutices, item fructuum genera. Et huc possunt addi aliæ res naturales, ut laudatio solis, aut alterius alicujus stellæ. Laudatio pluviarum, nivium, grandinis. Item de commoditatibus aquæ & ignis, aut alterius alicujus elementi. Item de incommodis. De lapidis laudibus aut vituperio. De gemmis, Defluvijs. De mari. De sensuum præstantia. De metallorum laudibus aut vituperatione. De intelligentiæ humanæ laudibus. Laudatio linguæ. Vituperatio linguæ. Item singulorum potest membrorum institui laudatio, vel vituperatio.

De Tertio vel tractatione.

PARtes, autor noster, quibus proponitur oratorie Laudatio & Vituperatio, Quatuor facit, Exordium, locos inventionis, vel probationem, comparationem & epilogum. Exordium non habet hic peculiaria præcepta: sumi potest ex locis, quarto & quinto progymnasmate datis. 2. De probatione. Loci dantur & præscribuntur ab autore nostro tantum personales, aut unde personæ laudari possint aut vituperari: Quia harum frequentior usus est. Et in reliquis rebus laudandis aut vituperandis fere in singulis alia atq; alia ratio est. Loci illi sunt: Genus

vel origo: quo refertur Gens; patria, Majores: parentes: Adde fratres, sorores, cognatos, affines. 2. Educatio, quæ tria complectitur secundum nostrum autorem. 1. Studia, i. e. naturam, inclinationes naturales, e. g. misericordiam, iracundiam, libidinem, docilitatem, vel ruditatem, obedientiam erga parentes, vel inobedientiam, studium litigandi, vel mansuetudinem, item exercitia primæ ætatis. 2. Artem i. e. habitus intellectuales: peritiam & imperitiam, rei rusticæ, militaris, familiaris: peritiam literarum, philosophiæ & eloquentiæ. 3. Leges, i. e. habitus morales, quomodo secundum aut contra mores i. e. honestatem legibus comprehensam quis vivere assuetus fuerit. 3. Actiones: Has dicit autor esse præcipuum caput Laudationis & Vituperationis, & trium generum esse actiones. Primum genus, actiones animi: ut quæ sunt fortiter, aut temperanter & liberaliter & magnificê, & modestê & ex mansuetudine, & constanter, & urbane, humaniter, & justê & prudenter ac sapienter ab aliquo dicta aut facta. Aut contrarijs modis stolidè & imperitè, audacter aut timide, intemperanter. 2. genus. Actiones corporis sunt usus & exercitium ipsius corporis & bonorum in corpore. Hic igitur enumerantur forma ac figura, sanitas, vel valetudo, robur, celeritas, artes manuariæ, saltatoria, canendi instrumentis musicis: Et quomodo his usus àliquis sit, nempe ad mollitiem vel superbiam, vel contra. Scilicet fuerit istarum contemptor, formæ dico & venustatis. vel id operam dederit, ut mores formæ consimiles essent. Item quid occasione istarum acciderit, e. g. propter dignitatem corporis admirationi fuit, & ad officium aliquod electus & omnibus charus.

Tertium genus: Actiones fortunæ, ad has pertinet enumeratio ipsarum fortunarum, & usus earundem. Fortuna vel est adversa vel secunda. Fortuna adversa complectitur mala, quæ non attingunt corpus & animum, nisi doloris sensu, e. g. Inimici, amissio amicorum, bellum. 2. Fortuna secunda complectitur bona extra hominem posita, e. g. amicos, honores, pecuniam, opes omnis generis, hortos, agros, conjugium, liberos. Et horum conservatio & acquisitio item est bonum fortunæ, item depulsio contrariorum est bonum fortunæ, quemadmodũ amissio & jactura bonorũ fortunæ est malum fortunæ. Usus est: quali animo fuerimus in istis comparandis, tuendis & amittendis, ut hoc in Laudatione & Vituperatione describatur ab oratore.

1. Circumstantiæ illæ nominandæ sunt.

De accommodatione horum locorum ad Laudationem, & vituperationem.

UTI his locis sic poterimus. 1. inquiramus & exponamus, quæ ex illis circumstantijs adsint præsenti personæ, e. g. Herculis patria est Thebæ. Gens, Græcia, pater Jupiter aut Amphitruo: mater Alcmena: majores, Thebanorum Principes.

Exempli gratiâ sumamus nobis Johannem Baptistam. Hic circũstantiæ sunt: I. Genus seu origo: quo pertinet patria, majores, parentes, cognati. Gens sunt Judæi, patria est regio montana, majores sunt Levitæ. Parentes Zacharias & Elizabetha. Inter cognatos etiam Christus est ratione maternæ familiæ. II. Educatio quæ dividitur in tres partes, 1. considerantur hic studia vel inclinationes naturales, & exercitia primæ ætatis. Horum quidem non fit mentio in historia sacra: per conjecturam igitur exprimi possunt: hoc modo: Quia in ipso materno utero fuit plenus spiritu DEI, dubium non est, quin etiam annis pueritiæ supra ætatem donatus fuerit illustribus divinæ agnitionis donis: & summæ voluptati duxerit de Messia cognato suo crebrò cum parentibus sermonem instituere, frequenter orare, aliquid ex sacris prælegere.

2. Pertinent huc artes, i. e. notitiæ quas addidicerit. Fueritne deductus in ludum literarium, in controversiam vocari potest. Parentes sane homines pij id videntur studiose operam dedisse, ut tenera ista ætas in scholis publicis, quæ apud Judæos quam optime constitutæ habebantur, ingenuis & honestis disciplinis imbueretur.

Verum si penitus introspiciamus sacra monumenta, id velle videntur, quod humanis artibus nullis tinctus fuerit Johannes noster: quin domi apud parentes latuisse ajunt. donec ad officium exercendum trigesimo tandem ætatis anno publice populo Judaico se sisteret. Neqꝫ tamen interea domi à parentibus domestica institutio non accuratissima & diligentissima adhibita est: commendati prophetæ, horum vaticinia diligenter enucleata & universum pietatis negotium huic filiolo suo studiosissime expositum. Ut sic divus Baptista literas quidem humanas quippe vulgares & hominibus ethnicis communes non attigerit: in divinarum autem cognitione, tum domesticæ institutionis beneficio, tum cælesti inspiratione tantum super omnes universim homines excel-

luerit: ut hujus etiam eximiæ ſapientiæ nomine nemo major Baptiſta Johanne ex homine natus eſse ab ipſa veritate Chriſto noſtro prædicetur.

3. Continentur hic leges i. e. virtutes, in quibus prima eſt pietas in Deum: Zelus in religione & fide Chriſti prædicandis. Deinde pietas erga parentes. Demum communes illæ Ethicæ virtutes: Fortitudo, Temperantia, Parſimonia, αὐ]άρκεια, modeſtia, Iuſticia.

III. Actiones Iohannis Baptiſtæ ſunt geſta ſingularia, 1. ſecundum animum. 2. ſecundum corpus. 3. ſecundum fortunas. Secundum animum 1. res geſta eſt, quod in utero exiſtens infans agnovit Chriſtum, etiam tunc embrionem vel nondum natum & ſubſultando eiusdem adventum gratulatus eſt. 2. In officio docuit magno Zelo, baptizavit, qui fuit ritus novus. Multa millia convertit. Chriſtum ipſum baptizavit. Scholam aperuit doctrinæ cœleſtis: Atq; hæc pie fecit, Illud conſtanter quod Herodi auſus eſt contradicere. Illud modeſtisſime quod cum maximi fieret à Iudæis, non inſolentior inde factus eſt: cum honores Mesſiæ deferrentur recuſavit. 2. Secundum corpus: nullis delitijs fuit deditus: ne valetudini quidem pepercit, habitavit locis vaſtis: abſtinuit communi cibo; formæ nullus cultus.

3. Secundum fortunas. Amicos forte paucos habuit, inimicos plurimos: præſertim Herodiadem & filiam: neq; tamen ad iſtorum gratiam quicquam veritatem inflexit: carceris ſenſit moleſtias & patientisſimè pertulit: tandem miſerrime interijt levitate mulierculæ.

Alterum præceptum de uſu iſtarum circumſtantiarum.

ITA ergo, 1. excogitemus nudas & ſimplices circumſtantias in perſona deſcribenda, & conſervemus in tabula. Quæ deſcriptio poterit eſſe inſtar fili Theſei, ut totam meditationem vel ſcriptionē dirigat: ut quodq; ſuo loco dicamus: tum quod confectum ſit, quid reliquum poſſimus prævidere: & ne una parte diutius quam par eſt immoremur, ne ſic à reliquis excludamur, ſed ex omnibus æquabili magnitudine inter ſe complicatis juſtum orationis corpus efficiatur. Alterum ergo præceptum, ut circumſtantiæ illæ, poſtquam ſingulæ ſuo loco nominatæ ſunt, perſe ipſæ quælibet deſcribantur, ſive prolixe enarrentur, quæ in ipſis inſunt

bona vel mala, e. g. Circumstantia in laudando Iohanne 1. Gens sic poterit institui:

Atq; ut à gente ordiamur, unde tantum generis humani lumen ac decus extitit: notum sanè est à Judæis ortum duxisse Baptistam nostrum. 2. Descriptio gentis. Judæorum vero populus, Deo gratissimus, ac propter multa apud hunc divinitus exhibita miracula toto mundo omnibus seculis clarissimus fuit. Originem ab Abrahamo trahunt, cujus nepos ex Isaaco Iacobus propter luctam cum filio Dei, Israel vel victor Dei dictus est. Hic cum duodecim filios ex quatuor uxoribus suscepisset, quartus natu Iuda jus regni ex patris benedictione adeptus est; quod ex prisco omnium gentium jure, primogenito cuiq; in familia debitum, Ruben frater maximus nefarijs & sceleratis cum noverca nuptijs perdiderat. Paucorum annorum spacio familia Israelis in multas domos & amplissimam nepotum multitudinem propagata est. Itaq; ipse in duodecim tribus, vel stirpes partitus est, secundum filiorum nomina. Et sic de reliqua historia Iudaica, Excerpantur præcipua capita, quæ visa fuerint habere quid singulare, jucundum, mirabile. Et quæ fuerint vulgaria, novitate narrationis condiantur. Dico vocum venustate, narrationis ordine, gnomis alicubi & Noëmatis interspersis. Deinde revertemur ad tribum Iudæ, e. g. Penes Iudæ posteros præcipua quædam & quasi regia authoritas sita fuit, ut pleriq; ex his duces eligerentur, hi in itineribus & prælijs quasi in acie constituti, reliquis & viæ monstratores & defensores periculorum essent. Donec tandem Davide electo majestas regia publica penes hujus posteros ferè ad usq; nativitatem Christi mansit. David & Salomon universo populo Israelitico imperarunt. Postea per imperitiam & inhumanitatem Rehaboami factum est ut is populus in duo regna divelleretur: Quorum alterum Israeliticum, vel Ephraimiticum aut Samaritanum dictum est, cui alij quilibet: alterum Iudaicum cui filij Davidis præerant, & Iudæ posteri cum Beniamitis subjiciebantur.

Præceptum Tertium.

POST descriptionem opus est applicatione ad personam laudandam vel vituperandam: Vel ut ex ea circumstantia deducantur laudes vel vituperatio præsentis personæ. Quod fit tanquam per propositionem

majorem & conclusionem. e. g. Sed redeundum est ad Johannem nostrum, cui certè nescio an majori laudi fuerit, ex tam clarissima & fere omnium nobilissima gente nasci: An vero populo illi gloriosius, quod præter fortissimos heroas plurimos, patriarchas gravissimos, prophetas divinitus illuminatos innumerabiles, sanctissimorum hominum multitudinem incredibilem, etiam hunc longe reliquis & animi fortitudine & vitæ gravitate, & illuminatione Spiritus Sancti, & morum sanctitate præferendũ virũ vel Angelũ potiꝰ in lucem istam progenuit. Verissima igitur illa quidẽ laus Iudaico populo etiam hinc accedit quod Johannes Baptista eos cognatos suos, fratres suos, majores suos sangvinem suum agnoscit neq; tamen nulla mutua Baptistæ è gente ista sua existit commendatio.

Etenim ut non dicam nunc, quod maxima sita est vis ad naturam ingenerandam in ipso majorem sangvine generosiori; omnes ita judicamus, neminem vel ingenij dotibus celebrem, vel fortunæ successibus insignem, vel alijs maximis quibusq; virtutibus clarissimum extitisse, quin aut origo gentis ignobilis & abjectæ non nihil gloriæ luminibus offecerit, & nominis splendori labeculam aliquam asperserit: aut gentis suæ celebritas virtutis claritati nonnullam lucis accessionem adjunxerit. Hæc propositio potest illustrari à contrario, simili, Inductione, Exemplis sententijs authorum.

Præceptum Quartum.

SED hæc eousq; sunt tractanda, ne obliviscamur scopi nostri, i. e. laudum Iohannis Baptistæ. Cogitemus & reliquis circumstantijs esse locum debere, præcipuè ijs, ex quibus magis clara & propria laus personæ existit. Non tamen prohibeo, si fortassis quædam circumstantiæ non suppeditant tantam rerum dicendarum copiam, quin in hujusmodi alijs, quæ copiosiores sunt immoremur. Et illud hic percommodum fuerit observatu, ut non statim in orationem consarcinemus quæ meditati fuerimus. Sed ubi singulas circumstantias elaboraverimus separatim: reliquas item excutiamus & describamus. Posteà universas inter se conferamus & quæ ad præsentem intentionem, e. g. ad Baptistæ laudes quã proximè facere videntur: ex ijs in orationis nostræ corpus colligamus, quantum satis fuerit. Quod superfuerit in pauca conijciamus.

Præceptum Quintum.

POSSUNT & brevibus exponi singulæ circumstantiæ: nominari saltem, & aliquæ describi i.e. prolixe proponi: & alicubi apponi saltē accōmodatio per gnomen. Quod nunc fere faciunt Oratores nostri, præsertim de circumstantijs, quarū accōmodationes jamsunt vulgatæ, à multis tractatæ, e.g. Ex patria, ex gente, ex majoribus ortum esse claris, quantum ad laudem & decus addat: Hæc inquam, saltem attinguntur. In rebus gestis autem singularibus, in habitibus morum & peritiæ prolixius immorantur.

Præceptum Sextum.

ACCOMMODATIO aliquando est Directa, aliquando inflexa. Directa, si circumstantia sit similis & conveniens personæ, h. e. sit bona circumstantia in persona laudanda, sit mala in persona vituperanda. Inflexa ėst accommodatio, si circumstantia sit dissimilis. Hic igitur inflectenda est; per interpretationem in partem contrariam ex ijs, quæ accidunt vel communiter, vel in hanc personam, e. g. Iohannes fuit odio principibus & literatis apud Judeos. Hæc circumstantia est mala, vel potius vitio, quam laudi videtur dari posse. Directa igitur accommodatio esset: Fuit ergo Iohannes improbus, aut suspectus saltem de improbitate. Qui enim hujusmodi hominibus displicent, non possunt effugere improbitatis aut crimen aut suspicionem.

Inflexa autem accommodatio talis esse poterit: Non debet hoc Iohannis innocentiæ nocere; imo eo minus de ejus sanctitate, & divina singulari vocatione dubitandum est. Quia in religionis negotio non semper ij qui displicent hominibus potentibus & doctis, ijdem etiam piis displicere, aut suspecti esse debent. Est in promptu ac non obscura causa; quià istorum scilicet corruptelis doctrinæ publicæ, & principum libidini contrasisteret. Placuisset igitur, si adulari voluisset.

Præceptum Septimum.

VARIETAS diligenter spectanda est. Nihil enim fastidiosius, quam eadem orationis facies. Itaq; aliquando brevius, aliquando prolixius,

aliquando mediocriter instituenda circumstantiæ tractatio. Aliquæ separatim, aliquæ conjunctim tractantur: Alicubi accommodatio primo, alicubi medio, alicubi ultimo loco ponenda, eadem aliâ atq; aliâ orationis figurâ exprimenda.

Tertia pars, Comparatio.

DE qua proximo progymnasmate ex instituto docebimus. Hic nunc sufficiat scire hac parte adduci alias personas, similes potissimum, sive de quibus eadem possint prædicari. Et si magnæ ac illustres sunt monstratur, nostra persona non multum abesse ab istarū laudibus, vel etiam adæquasse & alicubi superasse. Ut si Eliam compares cum Iohanne Baptista. Vel persona comparationis causa adducta, non est adeo illustris, neq; tamen multo inferior, hic monstrabit comparatio nostra, nostram personam majoribus laudibus efferendam. Ut si Iohannem Baptistam conferam cum alio quovis propheta, aut Apostolo, aut Philosopho, aut rege, ut Salomone, Alexandro. Persona dissimilis est, quæ contrarium merita est, e. g. In laude Iohannis Baptistæ possum comparare illi homines vituperandos, qui contrarium fortasse aliquod fecerūt, e. g. Iohannes vescebatur cicadis, vestiebatur pilo camelorum, & tantus vir: comparari hic possunt homines nequam, omnium rerum copia & divitijs circumfluentes. Et in omni ista comparatione hoc spectetur, ut mirabile aliquid, & pene supra fidem demonstretur.

De parte Quarta, Epilogo.

EPILOGUS non habet hic peculiarem inventionem. Quomodo alias construatur, dictum est progymnasmate Septimo. Autor noster docet votum hic habere locum: Quo sc: possumus optare amplius nobis dari tempus: Habere enim nos plura, quæ dicamus de præsenti negotio. Vel possumus ad preces converti Deo gratias agere de virtute aliqua aut successu prospero personæ istius commendatæ: aut de isto viro, aut alijs viris bonis multis divinitus concessis: aut de alio aliquo bono publico: & precari hoc diuturnum & faustum.

Exemplum idem laudum Baptistæ aliter descriptum.

Exordium ab excusatione tenuitatis.

SI perpetuum hoc esset, Auditores, ut rerũ magnitudinem etiam orationis dignitas æquare deberet: non ego tantum temeritatis à vobis jure damnari possem, sed etiam divino illi salvatoris nostri anteambuloni præcursori & Angelo Iohanni Baptistæ, de cujus laudibus mihi dicendum sumsi, omni plane virtutis suæ prædicatore carendum esset. Quod quoniam ab æquitate alienissimum foret, non dubito, Auditores, quin & me facile ab arrogantiæ suspicione liberaturi, & in tanti viri laudibus saltem pro facultate nostra dictis acquieturi sitis.

Laus Iohannis Baptistæ.

1. Locus, gens, sive laus gentis.

Dicam igitur primo de gente, quæ nota sane est, quod sc: ex Iudæis oriundus sit Baptista Johannes. De quâ Iudæorum gente etsi passim ex concionibus quotidianis cognoscimus, tum ex bibilijs sacris, quæ nobis in manu omnibus sunt, legimus, tamen quædam attingam saltem.

A Juda filio Israelis vel Iacobi, nepote Isaaci, pronepote Abrahami, & nominis, & sangvinis, ac generis originem duxerunt Iudæi.

Connumerati sunt duodecim tribubus Isráëlis, imo hi fuerunt in istis princeps ac regia tribus, & caput reliquarum. Et universus quidem ille populus Israëliticus, rectissime omnium, qui orbem terrarum incolunt, gentium vere nobilissimus & excellentissimus prædicatur. Sive enim in longa avorum, proavorumq; & majorum, virorum optimorum serie à priscis usq; seculis numeranda, nobilitas gentis alicujus consistit: eam à primis mundi quasi incunabulis atq; initijs, & clarissimo quidem ipsius Dei & sacrarum scripturarum testimonio derivare possunt Israëlitæ: & eorum, quidem majorum suorum, qui alij universi nostri humani generis communes autores extiterunt, & sic à nemine sperni possunt: alij ipsis proprij ab insignibus virtutibus plurimis celebrantur. Sive illa potius spectare velimus in æstimanda gentis nobilitate & præcellentia: quænam contra plures hostes arma gesserit, graviora bella & feliciori successu & majoribus animis profligarit, quæ pacis tempore magis circumfluxerit rerum necessariarum copia, & earum quæ ad amplitudinem Reipub: pertinent splendore: Quænam reges habuerit ac principes prudentiores, fortiores, feliciores, & rerum gestarum plurium: Si hinc, inquam regionis alicujus eminentia recte æstimatur, quæ, omnium terrarum

Laus Iohannis Baptistæ

ſub ſole nobilitatis palmam Judæorum nationi præripere queat? Quis populus cum pluribus diverſi generis hominibus prælio conflixit? cum Philiſtæis, Gergeſeis, Jebuſæis, Hetæis & reliquis Cananæis: cum Idumæis, Ammonitis, Amoritis, Moabitis, Chaldæis, Aſsyrijs, Perſis, Medis, Ægyptijs, Syris, Romanis & Græcis, ipſisq; adeo Æthiopibus? Quæ gens minori exercitu majores hoſtium copias fudit? Quid dico exercitu? Imo ex quâ gente unquam auditus eſt homo unus quisquam; vel uno ſaltem ſocio adjuncto ut Ionathan Saulis filius cum uno armigero famulo ſuo: vel ſolus etiam, ut Simſon: tota hoſtium caſtra innumerabilium penè copiarum & aggreſſus eſſe, & cæcidisſe & in fugam avertiſſe? Quæ unquam natio majori rerum omnium neceſſariarum affluentia abundavit, quam Iſraelitæ? Quæ majores unquam auditæ ſunt divitiæ quam Davidis & Salomonis? Quorum ille ex theſauris regijs ad templi ædificationem legitur donaſſe tonnas auri decies mille, argenti autẽ centies mille. Hujus autem tempore tanta argenti vilitas, quanta lapidum in via publica. Ubi unquam virorum omni integritate ornatisſimorum, Sapientiâ diviniſſimorum, fortitudine maxime admirandorum major copia? Qui heroes Samſonis robori, quantumvis ab ingentibus viribus celebratisſimi ſe comparare audeant? Qui principes fortitudinem Joſuæ, quantumvis audacisſimi adæquare ſe poſſe ſperent? Quippe qui nullis inſtructus armis cum plebe imbelli regionem Cananitarum ingresſus munitisſimas urbes, populum ferocisſimum & bellicoſisſimum, & in his homines tantæ magnitudinis ut Iſraelitæ ad iſtos comparati locuſtæ viderentur: Reges ad triginta unum oppugnavit, concidit, exterminavit. Qui imperatores cum rebus geſtis Davidis ſuas victorias componere poterunt? ſive hoſtium robur, ſive frequentiam præliorum, ſive occupatarum regionum multitudinem attendas? Qui reges cum Salomone de Sapientia & felicitate? cum familia regia ejusdem de perpetua multorum ſeculorum ſucceſſione contendere valeant? Sive tandem is populus reliquos antecellere longe judicandus eſt, de quo universi mundi arbiter & autor Deus ſuo exemplo ita judicandum alijs præſcripſit, ſive quem hic charisſimum & commendatisſimum ſibi habuit, quem præ omnibus cultum & exornatum voluit. Quæ ſine dubio ejus generis prærogativa ſive præminentia eſt, cui nulla alia non ſaltem præferri ullo modo, ſed ne vel levisſima ſuſpicione quidem comparari poſſit: Si inquam

Laus Iohannis Baptiſtæ

Laus Iohannis Baptistæ.

iſta conditione de nobilitate gentium judicare placeat, evicta eſt cauſa, DEI ipſius teſtimonio clariſſima eſt ſententia, quænam ſit è gentibus omnibus DEO chariſſima, non obſcurum eſt, cui populo hoc teſtimonium Deus dixerit Quem fugit? aut quis ignorare ſe cauſetur, quam familiariſſimum Deus Judaicum populum habuerit? His ſe conſpiciendum præbuit, non uno tantum die aut menſe, aut anno, ſed totis annis quadraginta continuis. Imo & voce ſua colloqui voluit.

Exod. 19.

Horum Rempub: ſapientisſimis legibus, hominibus ſive Rectoribus prudentisſimis, Ducibus fortisſimis Deus ipſe communivit: ipſe tempeſtatibus, terroribus, ſpectris, angelis ſuis emisſis propugnavit, inuſitatis, inauditis, ſtupendis miraculis toto mundo celeberrimum, & hoſtibus etiam longè potentioribus formidabilem fecit.

Legatur Hiſtoria Pharonis.

Accommodatio hujus Circumſtātiæ.

1. Tranſitio: Satis puto me dixiſſe de Iudæorum, præ reliquis gentibus, nobilitate. Sed quærat aliquis, quid hæc ad Iohannem Baptiſtam? perplurimum ſane. Quemadmodum enim non exigui criminis loco obijci ſolet ex barbara & inculta gente procreatio: ita puto non minimæ laudi dandā eſſe ex populo cultiſſimo & nobilisſimo originē, 2. Ut enim liberos videmus nominis & poſſeſſionum: ita etiam non gloriæ tantum ac laudum, ſed etiam virtutum ac morum pulcherrimorum in majoribus ſuis hæredes exiſtere credendum eſt: niſi prava quadam aſsuefactione ipſi tanto ſe bono deſpolient.

Accommodatio per πρόσληψιν contrarij.

Secunda accommodatio per comparationem à ſimili.

3. Et ſi parentum atq; avorum inſigni oſtentare, rerum præclare geſtarum famam prædicare, ac ſibi communem facere, ſingulis in privata aliqua familia licet: an non meliori jure totius alicujus gentis per multa ſecula excellentem famæ, facinorumq; egregiorum dignitatem ad poſterorum communem laudem derivaverimus?

3. per cōparationem à minori.

ſtæ.

Secunda pars Circūſtantiæ Patria.

Porro natale ſolum vel patriam nactus eſt D. Iohannes, urbem quandum in montana regione Iudææ. Nomen non exprimitur.

Accommodatio per dubitationem.

Fortasſis quod non ſatis reverenter habuerit tantum prophetam, indigna judicata eſt, cui à tam præclaro civi quicquam commendationis ad nominis æternitatem adderetur:

1. Accommodatio per Aſſumptionem Diverſorum & Auxeſin vel gradationem.

Rarò fit ut ex parentibus bonis ſimiles naſcantur liberi, rarius ut ex improbis genitoribus ſoboles proba educetur: rarisſimè ut

3. pars primæ cir. Majores.

ex opti.

ex optimis majoribus meliores filij exoriantur. Atq; hoc D. Baptistæ contigit, ut ex optimis & præstantissimis non in reliquo mundo tantum, sed ipso Israele etiam, nativitatem duceret: Quorum ipse tamen & virtutem superaret, & famæ ac gloriæ plus addidisse, quam inde accepisse videretur. Nempe ex familia sacerdotali sacra, & quidem summi sacerdotis Aaronis, secundum paternum maternumq; sangvinem ortus fuit. Mater enim ex filiabus vel posteris Aaronis affirmatur fuisse ab ipso Luca Evangelista cap. 1. Idem autor est patrem Zachariam fuisse ordinis Abiæ, atque hic Abias fuit princeps Sacerdotum, & in nepotibus Aronis. *Laus Iohannis Baptistæ* *1. Paral. 6.*

Videtis quam amplissima hæc sit à majoribus accepta laudum nominisq, hæreditas. Sed quam explicare nunc vobis & cominus aspiciendam proponere non patitur temporis injuria. *Descriptio per prætertionem.*

4. Ad parentes venio, de quibus nihil addo præter ea, quæ ipsi ex sacris novistis. Erant ambo justi, inqvit Lucas, coram Deo, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini, irreprehensibiles. *4. Parentes descrip.*

Quis non Auditores nisi extreme insanus, ex talibus nasci, quam ex ditissimis, nobilissimis, amplissimis, imò regibus, sed ijsdem impijs, sceleratis, D E O hominibusq; invisis, maledictis, præoptandum existimaret? *Accommodatio per exclamationem & cōparationē;*

De nativitate quanquam notum est tamen non possum facere, quin paucis mentionem subjiciam. Omnia mira, inaudita, supra fidem, nisi sacræ scripturæ authoritas fidem ac firmamentum adjungeret. Parens uterq; sterilis, senio confectus. Ab Angelo Gabriele, qui princeps est in choro angelico, annunciata & prædicta patri, filij ex uxore susceptio, & quidem in templo ad altare sub solennibus anniversarijs precibus, in magna sacra facientium frequentia. Eidem quod nuncio ut videbatur incredibili fidem habere cunctaretur, linguæ usus ademptus est. *5. Nativitas Descriptio.* *Laus Iohannis Baptistæ*

De Cæsare Augusto referunt cum forte in Insulam Capreas venisset, veterrimæ ilicis demissos jam ad terram, languentesq; ramos hujus adventu convaluisse. certissimum hoc habitum fuit felicitatis cujusdam divinæ in Augusto ostentum. *Accommodatio per comparationem similium exemplorum.*

Sed non dicam nunc, quod non extenuandæ tantum rei causa, sed fortassis etiam verè dicere poteram: ab adulatoribus multa ejus generis in gratiam principum ficta esse: & si arbor illa vere vires suas resumpsit, alijs de causis fieri potuisse. Sed esto, fuerit hoc virtuti Cæsaris di-

Laus Iohannis Baptistæ

vinitus attributum, & ut ejus honoris causa, quo Deus principes etiam Ethnicos complectitur, arbor vetula revirescceret, & ad integritatem rediret: quā vero tenue hoc universum est, si ad prodigium de effætis D. Baptistæ parentibus conferatur? Quemadmodū de eodem memorant, in capitolio cornicem clara voce pronunciasse ad temporum felicitatem sub Augusto proclamandam, ἔςαι πάντα καλά: Quod Vergilius sic extulit:

Nuper Tarpeja cornix quæ sederat arce,
Est benè non potuit dicere, dixit erit.

Sed quanto noster Baptista augustior? qui ipsum cælestium alituum vel angelorum ducem felicitatis sub ipso futuræ præconem sortitus est; non in vastis Tarpeiæ rupis præcipitijs, sed in celebratissimo Jerosolymæ templo & confertissima populi concione. Neq; quod de flammulis super Servij Tullij capite apparentibus commemorant: Neq; illud de formicis in os pueri Midæ grana tritici congerentibus: neq; alterum demum de Platonis apibus, quæ dormienti parvulo in cunis, mel labellis inseruerunt; ad D. Johannem comparari poterit, qui ipso spiritu Dei infans impletus fuit: Sive eventum longe augustiorem sive, ipsa prodigia & longe plura, & singula multo excellentiora, hac parte inter se componamus.

Sexta pars Circumstātiæ primæ, cognati.

Ad alia sane propero: neq; tamen silentio præterire possum quod ipsum Christum Salvatorem nostrum consangvineum & cognatum habuit D. Johannes. Ita enim Lucas, imo angelus apud Lucam ad divam Domini matrem: Elisabeta, inquit, cognata tua.

Et ne quisputet leve hoc esse ingenij fortè causa à me conquisitum: audeo affirmare, auditores, vix aliud quicquam ex ijs quæ in laudem tanti viri convehi licet, quamvis sint uberrima ac præclarissima cum hoc capite conferri posse.

2. pars Accommodatio per incremētū diversorū terminorum.

Cogitate mihi, quid jucundius, honestius, præclarius, quam numerare in familia sua viros graves, celebres, nobiles? Quid admirabilius, & gloriosius, (quanquam hoc vix unquam contingit) quam hominem infimæ fortunæ cum principibus potentissimis communi origine conjunctum esse? Quid cogitari potest, & mente saltem deformari amplum magis, & ab omni usu remotius dignitatis exemplum, quam esse è vulgo hominem: cui vera, legitima, eademq; publicè nota sangvinis propinquitate Rex aliquis aut imperator augustissimus devinctum se esse

profi-

profiteatur? Quid igitur dicam aut quo nomine hoc genus excellentiæ appellem quod D. Baptista noster ipsum regem regum, cæli & terræ creatorem, omnium rerum seu totius mundi Dominum, eorundem majorum & propinqui sangvinis communitate attingit? *Laus Iohannis Baptistæ*

Connexio. Diximus pleraq; de origine D. Baptistæ, educationem igitur ejusdem enarrare jam nunc ingrediamur. Sed de hac ero brevior, quia ipsa historia sacra brevibus eam perstringit, & non exigua pars reliquæ orationis nobis superest, omnium minime prætermittenda. Educationem puerilem quod attinet, tantum commemorat D. Lucas: puer Johannes crescebat, & confortabatur in Spiritu, & erat in deserto usq; ad diem ostensionis suæ in Israel. *2. Circumstantia Educatio.*

Fuit ergo domi à parentibus educatus. Non solum uterq; parens pro pietate sua diligenter erudierunt in primis fidei capitibus, ad modestiam puerilem ac munditiem, tum reverentiam erga peregrinos, & natu majores diligenter assuefecerunt: verum etiam pater pro excellentissimâ in prophetarum mysterijs intelligentiâ, sedulò oracula sacra evolvenda commendabat filiolo: ipse aliquando voce sua præibat, atq; interpretabatur. Præsertim cum etiam puer valde isto studio delectaretur, propter insignes, & in alijs minus usitatas Spiritûs sancti agitationes. *Descriptio ex conjectura.*

O beatos illos liberos, qui similem experti parentum industriam ac pietatem, toto pectore in sacrarum literarum studia à prima ætate incubuerint. *Accommodatio per exclamationem.*

An etiam artibus scholasticis, vel humanioribus, ut vocamus imbutus fuerit D. Iohannes, vix ausim certum quid affirmare. Quod Deo iste perpetuus mos est, ut quo illustriorem haberi vult aliquem suum legatum, eo minus ab istis humanæ sapientiæ præsidijs instruat. Quod David ex opilione Rex, Amos ex bubulco propheta (Amos 7.) Apostoli ex piscatoribus totius mundi Doctores & triumphatores satis comprobant. *2. pars. Artes sive Habitus intellectuales. Accommodatio simplex.*

Digressio & præparatio. Ergo ad mores tandem abeo, quos utinam aut tantos & tam pulchros animo deformare ac concipere mihi daretur, ut si non ipsam expressisse omnino eorum magnitudinem, tamen quam proxime accessisse, vel saltem ab eadem non longe abijsse dici possem: aut utinam, quantos eos animo concipio, etiam oratione vobis ante oculos depingere valerem: aut tandem utinam quantum industriâ & co- *3. pars, Leges vel mores.*

Laus Iohannis Baptistæ

natu in ijs oratione exprimendis asſecutus ſum, illud enarrandi facultas
per temporis anguſtiam mihi concederetur.
Et quanquam ſi prolixus & minutius proſequi liceret, in plura ca-
pita poſſem diſtribuere: Quatuor tamen his partibus pro tempore ero
contentus, ut de eximia D. Johannis pietate, de ejusdem conſtantia, vel
fortitudine gravisſima, temperantiæ quodam genere ſingulari, & tandē
modeſtia plane admiranda breviter commemorem.
1. Virtus: pietati igitur primum merito tribuo locum. Quod ea
hujus virtutis, apud Chriſtianos debet eſſe ratio, ut ſi vel ſola adesſet
(quod tamen fieri non poteſt cum tanquam mater plerarumq; virtutum
omnium, felicisſimam hanc ſobolem ſuam, quaſi complexibus ſuis aman-
tisſimis ſemper ſecum circumportet) tamen quam ornatisſimum eum
in quo reperiretur, efficeret: Vel ſi ſola deſideraretur in homine, ab
omni reliquarum virtutum genere uberrime exornato, tamen tantum
laudibus detrahat, ut hæ nullo jure esſe tributæ videantur.

Accommodatio.

Ut autem probem vobis hanc pietatem D. Johannis, ſpero non labo-
randum mihi eſſe: de qua ſcil. jam ante vobis ſatis conſtat, quanto zelo
& ipſe Doctrinam Salvatoris complexus ſit, & apud alios urſerit.

Descriptio per præteritionem. 1. Virtus.

Fortitudinem igitur non tantum ex latine loquentium conſuetu-
dine, ſed quod verisſime ita res habeat, appello animi illam conſtantiam,
qua nihil verearis, aut potentium hominum iras, aut quorumvis alio-
rum offenſiones, aut tuam famam vel vitam, aut alienam gratiam at-
tendas, quin quod officium à te poſtulat, veritatem tuearis. Quod ſi ita
eſt, quæ poterit esſe major conſtantia, quam Baptiſtæ noſtri? Qui a Ju-
dæorum populo videbat in manibus atq; oculis ſe geſtari: vel Deum fieri
posſe: ſi linguæ temperare voluisſet; tamen quod officij ſui eſſe putaret,
ut impiam iſtorum vitam vehementisſime reprehenderet: hoſtes eos ex-
periri maluit, quam officium non facere, quid fortius & conſtantius, &
pene dicam audacius iſta concione, qua palam Herodi regi, à quo tamen
amabatur & magnifiebat, in os contradicere, ſceleris coarguere ac con-
demnare non eſt veritus: cum tamen bene novisſet ita facturum ſe,
ut carcerem, compedes ferreas, mortem deniquè ignominiosisſimam
in ſe derivaret.

3. De Temperantia- Accommodatio à ſimili.

Alexandrum Magnum ajunt valde delectatum fuiſſe clava & Leo-
nis pelle gerendis, quod ijsdem olim Herculem uſum fuiſse fama eſſet.
Itaq; ut animo ac moribus & rebus geſtis huic conſimilis eſse Alexander

exopt-

exoptabat: ita ejus voluntatis suæ indicium ac significationem publicam ex habitu fieri voluit. Pari ratione D. Baptista cum excellentissimum Prophetam Eliam Spiritûs exprimere fervore deberet: etiam externo victus genere assimilari debuit. *Descriptio.*

Hinc igitur & pelle cruda cingebatur & cingulo coriacio, h. e. vilissimo vestimenti genere: nullis delitijs, vix necessario, tenuissimo sanè cibo utebatur.

Modestia vero quam dixi an non divina apparet? quod cum deferentur à populo Judaico honores summi, & ut vel Messiæ vel maximi prophetæ alicujus loco haberi se pateretur, recusavit. Quod turpe judicaret in Theologo honorum titulis videri inhiare, & non istos potius nihili facere, idq; unice sollicitum esse, ut Christo nostro honor suus salvus asseratur. *Modestia. Descriptio. Accommodatio.*

Dixi de moribus, reliquum est, de rebus gestis singularibus, D. Iohannis. Sed quæ pars nobis quanquam invitis prætereunda est: cum tamen præcipua commendatio hinc divo Baptistæ tribueretur. Dicendum enim esset de instituto novo, illis sane temporibus, baptizandi scilicet, unde Baptistæ nomen assecutus est: & quod suis manibus Christum Salvatorem ad officium inauguravit: quod suis oculis Sacrosanctæ Trinitatis personas tres usurpavit. Tum de reliquo officio facienda esset mentio: afferenda in medium concio D. Johannis, quam ad populum habuit, Matth. 3. item altera quam ad discipulos Ioh. 3. & plures aliæ. Legatio Saerdotum considerauda esset: item Schola publica, quam aperuit multis discipulis: & ablegatio horum ad Christum. Porro huc etiam referrem vitæ illam peculiarem austeritatem, prope eremiticam, quod omnes hominum societates, omnes vitæ delicias fugit. *Tertia Circumstantia De rebus gestis. Descriptio per prætеritionem & enumerationem simplicem.*

Item honores hic enarrarem, quos non homines tantum, sed Deus etiam huic suo Legato adhibuit: ut totis sexcentis annis eum præmonstraret Esaias: Et iterum Malachias propheta ejusdem adventum prænunciaret: quod alij prophetæ, aut apostolo nulli contigit. Quid? quod filius Dei ipse præconem D. Johannis egit? & non tantum omnibus Prophetis longissime prætulit, verum etiam supra omnes ex homine natos homines haberi voluit?


Multa alia prætereo: atq; adeo si omnia exponere voluntas esset; & quod multitudine pene innumerabilia & pondere ad commendandum gravissima & tandem ipso genere inaudita atq; inusitata sunt facile

mole

De Morte.

mole ista obrueremur. De morte dicturus, vereor, ut illud ea animi præsentia facere possim, quâ D. Baptista eandem pertulit. Hic subijciatur ὑποτύπωσις i. e. descriptio mortis secundum eas partes, quæ videntur statuere ipsam rem gestam quasi ante oculos & valde miserabilem.

Conclusio habet accommodationem 1. ex loco communi, quod Deus patiatur affligi suos à mundo impio. 2. Misericordiam erga Johannem, sive amplificet indignitatem mortis. 3. Odium erga Herodis crudelitatem, & Herodiadis levitatem, atq; impudicitiam 4. preces, ut Deus Ecclesiam conservet in tantis etiam horum temporum persecutionibus.




FINIS.



SEQVITVR EXERCITIORVM MATERIES.

LOCUS COMMUNIS.

εἰς τὴν ἀψικορίαν vel in picam juventutis literariæ.



COMMENDENTUR instituta exercitia nostra in genere. 2. Locorum communium scriptio. 3. Argumentum hoc περὶ τῆς ἀψικορίας. Ignota autem vox & res, itaq; docilitatis causa describenda erit. Lepida est turpissimæ rei appellatio. Latinum nomen nullum, quod memini, inditum est: posset tamen Pica appellari. Rem vobis describam, sic rectius etiam nominis hujus rationem intelligetis. Est in adolescentibus hoc morbi vel vitij genus, quo pleriq; omnes laborant, ut variarum literarum cognoscendarum serio, ut sibi videntur, ducantur studio: mox tamen, ubi aliquod ex his vix primoribus, ut ajunt, labellis degustárunt, aut à primo limine aspexerunt, inde reijciuntur, nescio quo fastidio, ad aliud commodius sese applicant, atq; inde iterum ad aliud atq; aliud, eodem semper eventu. *Exordiũ 1. ab Attentione.* *2. à docilitate.*

Inde eleganter græci ἀπὸ τοῦ ἅπτειν, quod est tangere, & κορεῖν, quod est satûrare, inscripserunt, quod hoc vitio laborantes primo quasi rerum discendarum attactu statim earundem obsaturentur. Quare autem Latinè picam dici posse censeam, causa est, quod persimilis videatur hic adolescentiæ morbus mulierum gravidarum isti affectui, quem picam vocant, quo illæ dicuntur maximè variâ inconstanti & monstrosa sæpe cupiditate, & á salubribus abhorrere alimentis, & non inusitata tantùm, sed etiam sæpè noxia expetere.

Quid monstri sit ἀψικορία, eminus aspexistis: nunc porrò quasi cominus & penitius fæditatem hujus tàm monstrosi, tam nocentissimi ac pestilentissimi vitij mecum perpendite. *Propositio.*

2. pars exercitij Contrarium.

Summa est, auditores, quam dixi, fastidium illud in adolescentibus, quòd initijs operæ alicujus literariæ vix dum delibatis abhorrere, & refugere ab eadem solent, ad alia studia animum adjungere, & hinc mox ad alia atquè iterum alia dilabi: hanc, inquam, turpissimam esse hujus ætatis maculam, pestem, corruptelam, ac calamitatem omnis in literis bonæ frugis ac spei certissimam, sentio.

Propositio contraria prima. Constantia in studijs est cõmoda.

Etenim si in eo literarum genere, quo maturâ deliberatione antegressâ delectatus fueris, quod ingenio, naturæ, institutis studiorum cursibus maximè aptum & conveniens esse exploraveris, si in eo, inquam, literarũ, lectionis, meditationis, exercitationisq; genere conquieveris, illud indefessa operâ urseris, fastidium, quod obrepere solet, excusseris - ignaviam, quæ mater quasi istius fastidij est, & nutriculam ejusdem præcocem sapientiam penitus extinxeris, atq; oppresseris: illa demum est profectus aliquando in adolescente egregij futuri prærogativa, & index nota verissima. &c. Cæteras contrarias ipse finge.

Digressio vel connexio:

Tertia pars exercitij Narratio sive ἔκθεσις

Operæ precium mihi facturus videor, auditores, si magis vivis & apparentibus coloribus vobis depingam istos, quos hoc morbi genere laborare censeam: ut vel in vobis ipsi corrigere, vel in alijs, si amici sint, præmonere, si peregrini, ex istis exemplum capere possitis, vobis quod ex usu siet.

Descriptio ipsa fiat secundum partes: Quid faciant antè, quàm ad studium aliquod accedant: quid in initijs operæ, quid medio, quid in fine.

Describantur autem ea, quæ in oculos incurrunt, & sunt turpia & ridicula.

1. Ante.

Videntur sibi magno affecti esse discendi desiderio, idq; gestiunt, & bonæ indolis suæ argumentum ostentant; dum illud literarum ac studij genus, ad quod aspirant, supra fidem efferunt ac deprædicant omnibus obvijs. Præterea jam tunc rationem ineunt, ad quæ istis pertractatis alia atq; alia sint pervolaturi, & quomodo brevi omnia studiorum stadia decursuri, omne literarum mare exhausturi sint.

Laudabilis conatus, omnia placent mirè: arrident, applaudunt, meri omnia thesauri sunt. Ex toto vultu apparent lætitiæ signa, ungues rodunt, humeros alternos arrigunt ac demittunt, cutem scabunt, ore hiant, & præ stupore atq; admiratione vix apud se sunt. Tempus conqueruntur angustum nimis, exoptant à cibis potius, quàm meditatione & operis suis abstrahi. Nullus autor divinior, nullus scriptor elegantior, nullus liber magis aureus, nullus præceptor exoptatior, nulla studiorum ratio felicior & fortunatior. 2. in initijs.

Aliud atque aliud paulatim displicere incipit: animum ad alia adjicere, aliorum feliciores progressus videre incipiunt. 3. in medio.

In fine omnia damnant, juxta versum: 4. in fine.

Principium fervet, medium tepet, ultima frigent.

Similes sunt febri laborantibus. 4. pars exercitij Comparatio.

Partes comparationis factum & ἐπίκρισισ

Factum has iterum habet partes:

Febricula correpti primum famem vel sitim saltem sentiunt, & ardentem quidem. 2. à præsentibus vel quorum copia est, alimentis toti abhorrent. 3. Absentia, & quæ difficilimè comparantur, valdè desiderant, idq; planissimè persuasum habent, si illis potiantur, non tantum delectandos se, sed vitam redempturos esse. 4. Sed & hæc allata si sint, valdè gestiunt, avidè exhauriunt. 5. Delapsis illis per guttur sentiunt trahi quandam amaritudinem, Sed cohibent se, nolunt fateri. 6. Paulatim magis ac magis displicet cupiditas, adjciunt animum & appetitum ad alia quædam. 7. Tandem cum sufferre horum desiderium, illorum fastidium amplius non possunt: hæc respuunt, illa quærunt 8. ἐπίκρισισ: Causa est corruptus & languens stomachus, non cibi aut potus vitium. Itaq; non corrigitur ista acerbitas, neque dabitur ullus tandem potus, qui sapiat ipsorum stomacho, nisi languor ac morbus abeat.

Ad singulas partes accommodetur aliquid ex præsenti themate.

Quod facere solent febri afflicti, ut quidlibet suspicari malint causæ, quàm palatus ac stomachi sui vitio accidere ingratum cibi sensum; idem etiam à delicatulis nostris fastidiatoribus. 5. pars Gnome vel Reprehensio opinionum, quibus falluntur ἀψικόροι

1. Opinio. Aliquando enim conqueruntur tempus importunum, alia magis necessaria, aut somnum sibi obrepens, aut aliàs minus expeditos se, viam lutulentam, tempestatem incommodam, hoc est, ut ego interpretor, fatentur se ignaviæ turpissimo vitio afflictim laborare. *Refutatio opinionis.* Vera enim hujus fastidij causa ignavia est. Sed ita fit, ut quemadmodum omnes studiosè id defugiunt, ne vitio alicui affines videantur: ne autem eidem affines sint minus student: ita nostri id quidem operam dant, ne ignavos esse se palàm fiat, verùm ab ipsâ ignavia infici minus recusent. Hinc igitur, quod objici poterat ignaviæ argumentum, alio quovis detorquere mirè satagunt.

2. opinio. Inde aliquando criminantur præceptoris, quo utuntur, aut scriptoris industriam: non satis fideliter versari in istis tractandis: obscuriori uti phrasi, infeliciori esse ingenio: ipsum non satis intelligere ea, & laborare hoc vel alio vitio: Quare non integrum esse sibi hunc Doctorem diutius ferre.

Refutatio. Quod quid aliud est, si quid ego de his possum indicare, quàm quod palàm fatentur, affectos se præcoci sapientia, vel stoliditate gemina, scilicet, qua sibi etiam sapere videntur vesani, dum de eruditione præceptoris sententiam ferunt homunculi ab omnis eruditionis initijs quàm maximè vacui & inanes.

3. opinio. Inde tandem fit, ut ipsam operam cavillentur, quasi vulgarem & passim obviam, & quâ dudum defuncti sint: aut quæ minus commoda, aut parum necessaria, aut non satis accuratè expolita sit.

Refutatio. Scilicet cœci de luce, surdastri de musico concentu, aut Midæ auriti de Panis cum Satyro certamine arbitros se interponunt. Quemadmodum enim palato sano & sincero, etiam oppleto stomacho, tamen non insuavis videtur salubris aliquis, quamvis tenuis cibus: eidem valetudine corrupta omnia molesta & acerba sentiuntur, etiam quæ suavissima sunt: Ita homini erudito quævis, saltem non aliena ab ingenio aliquo, satis arrident ac probantur. Signum verò est ingenij imperiti, ignavi ac stolidi, si animadvertas in adolescente istos mores, quod nihil sibi accuratum videri posse, nihil satis rectè constitutum, ac omnia displicere manifestè ostentat.

VI. pars Egressio seu παέκβασισ. Hac parte dicatur, ex quibus parentibus, quâ natura, educatione, fortunâ, quibus moribus &c. adolescentes hoc vitio sint contaminati.

Probetur

Probetur hic ejusmodi fastidiosum sine omni misericordiâ gravibus pænis coërcendum, & ex societate literaria planè ablegandum esse. *VII. pars exercitij Misericordiæ denegatio.*

Probes ex locis: Legitimo, utili, necessario &c. quod hæc pæna rectè in istum statuatur. *VIII. pars.*

LOCUS COMMUNIS SECUNDUS. DE PRÆSTANTIA ORDINIS LITERARII.

CAPTAT benevolentiam 1. ex re ipsa: Dicam de nostri ordinis laudibus, quæ meritò nobis debebant esse jucundæ auditu. 2. Ex nostris moribus: 1. à significatione modestiæ. Exempli gratia: Ego impar isti oneri sum & tenui eruditione: sed suscepi hoc munus ad inflammandum in me illius, Eruditionis dico, studium vehementius. 2. a significatione veritatis: Tantùm veras ordinis nostri laudes conferam: ab omni fuco & fictitiâ atq; adulatoriâ commendatione abstinebo. *Exordium.*

Figura Elocutionis poterit esse occupatio.

II. Docilitatis causa ponenda est Propositio: Huc igitur mentes, aures q; vestras attendite: Hoc me effecturum spero, ut intelligatis, homines literatos & horũ ordinem, omnes reliquos & virtute & utilitate publica excellere & honore etiam præferendos esse.

I. Propositio: Homines illiterati sunt vitijs pleriq; dediti, plurimum damni afferunt & contemptui habentur, aut saltèm haberi debebant. *Secunda pars Exer. citij CONTRARIUM.*

II. Propositio: Homines literati non sunt viles æstimandi.

III. Homines illiterati vel non sunt, vel saltèm non debent esse cum literatis in pari æstimatione.

IV. Propositio: Qui non æstimantur magni, inde plerumq; fit quia à literis non commendantur.

V. Propositio. Qui non contemptui est, plerumq; hoc eruditioni & literis debet, quod ab his non fuerit alienus.

Tertia pars Exercitij NARRATIO.

NARRATIO.

POTEST hic fieri gemina: I. Ut deſcribantur facta hominum illiteratorum, quæ ſcilicet in oculos incurrunt, & poſſunt illos in contemptum adducere, Copiæ cauſa diſtribuantur in partes: in ſermones, in geſtus, in negotia.

1. In ſermonibus iterum conſideretur, quibus de rebus, quo vultu, quàm incultis verbis & parum perſpicuis: quo Eventu, apud quos &c. loquantur.

2, in Geſtibus circa veſtitum; circa riſum, circa iram; inter Epulas; inter Scyphos; circa inceſſum; circa tusſim, ſcreatum, capitis, manuum & reliquorum membrorum motum, domi & apud peregrinos.

3. In negotijs iterum alia ſunt publica alia privata. In publicis afferendum eſt, quid agant in judicijs & alijs officijs; in conſilijs, in legatione.

In privatis conſiderandum quales ſe gerant in periculis ſubeundis; in amoribus; in honoribus; in opum uſu; in ſplendore vitæ; in appellandis alijs; in converſatione; in jocis; in contractibus &c.

Et hic narretur quid aliquando viderimus, & quid alij, quid meminerimus, legerimus: atq; omninò quæcunq; ſingularia facta hominum illiteratorum aliquid ridiculi habent, huc congerantur.

Secunda pars Narrationis.

II. Deſcribantur etiam facta literatorum, quæ in oculos incurrunt: ſed elegantia & venuſta, quæ benevolentiam & amorem illis concilient. Inventio fiat ex datis partibus.

Quarta pars exercitij COMPARATIO.

Ea poteſt hîc fieri cum eo rerum genere, quarum aliæ ſunt impolitæ & propterea turpes: aliæ excultæ & propterea pulchriores: ut cum metallorum informi materia, & operibus ex metallo factis nitidis. Et fiant hic partes ut monſtravimus in loco communi primo.

Quinta pars Exercitij OPINIONIS.

Dividantur & hæ in membra duo: Primo membro refutabuntur opiniones, quibus illiterati ſeſe defendunt, & in noſtrum invehuntur ordinem. Secundo membro efferentur & collaudabuntur opiniones quibus literati noſtrum commendant ordinem.

Membrum primum. 1. Opinio.

Multi illiterati extiterunt viri fortes. Reſpondeo.

1. per negationem prædicati. Non fuerunt iſti viri fortes. Non e-

nim eſt fortitudo ſed brutum robur, quæ prudentia careat, qualis etiam in beſtijs apparet.

2. Per negationem ſubjecti. Iſti viri qui fuerunt fortes, non fuerunt illiterati, ut græci & Latini imperatores?

3. Per conceſsionem & contemptum. Rarum hoc eſt, quemadmodum quod aliquando corvus aliquis albus apparet, unde tamen ſuſpicandum non eſt, aliquando omnes aut plurimos corvos albos fore.

4. Per conceſsionem & Compenſationem. Extiterint aliqui viri fortes illiterati, at plurimi extiterunt literati viri fortisſimi: Neq; in hoc tantùm virtutis genere excellentes in quo iſti ſe jactant, verum præterea & temperantes & liberales, magnifici, urbani &c.

Opinio Secunda. Multi illiterati feliciter gubernarunt Rempublicam. Reſpondeo, per conceſsionem & diſtinctionem: Non illos excludimus planè à Republica, ſed nolumus eam ſolos obtinere, aut etiam primas habere. Sunt enim quædam expedienda in Republica, quæ poſſunt per illiteratos commodè effici. Et inter illiteratos ſunt multi viri prudentes, qui per ætatem & converſationem cum alijs acquiſiverunt multarum rerum uſum. Hi non rectè illiteratis accenſentur. Non enim literæ ſunt imagunculæ & picturæ chartis illitæ, quas iſti ignorant: ſed prudentiæ quædem excellens vis, à quâ optimè inſtructi ſunt.

Opinio Tertia. Omninò Reipublicæ ſic melius proviſum eſſet, ſi tantum illiterati ad gubernacula ſederent. Reſpondeo per contemptum. Si ex Lupis quæras, an non idem reſpōſuri eſſent? non fore melius conſultum ovium rebus quam ſi ipſi præeſſent.

Opinio Quarta. Literæ ignavos homines & effœminatos reddunt & amantes ocij & facilè trepidantes in negotijs: unde dicitur homo de ſchola pro nimis ſimplici & verecundo.

Reſpondeo per negationem & cauſam additam hanc: Quia literæ cauſas monſtrant, quibus ad virtutes impellimur, & ſic induſtriæ igniculos admovent animo. Otium illud literarum eſt liberale, quod non tribuitur ignaviæ ſed labori ingenuo.

Meticuloſitas, in juvenibus deprehenditur minus exercitatis: excutitur tandem ætate, & eſt melior impudentia & audaciâ adoleſcentum illiteratorum. Illam nemo; Hanc omnes reprehendunt: illa flos virtutum; Hæc vitiorum & ignorantiæ index nubecula, imò maximorum ſæpè calamitatum ſeges & materies eſt. Convitium hominis de ſcho-

la ab adverſarijs profectum eſt. Hujusmodi etiam multi extant noſtrorum in ipſos.

Opinio Quinta. Illiterati poſſunt ſtrenuè bibere & tamen fungi officio. Reſpondeo per contemptum. Si cum bove certamen eſſet, rectè hoc prædicarent, ſcilicet de capacitate ventriculi ſui.

Opinio Sexta In negotijs privatis poſſunt rectius rebus ſuis præesſe: agrum; equos, familiam curare. Reſpondeo 1. Negando. 2. Contemnendo. Cauſa eſt: quia majoribus occupato non datur vitio, quod viliora non posſit adminiſtrare.

Opinio Septima. Sunt Simpliciores: ignorant artes ſimulandi ac disſimulandi hoc eſt decipiendi verborum mendaciunculis.

Itaq; malunt homines cum iſtis ſibi negotium eſſe: à literatis tanquam aves à tendiculis & aucupe metuunt. Reſpondeo. Nego ab iſtis artibus illliteratos esſe alienos.

Ad ſignum Reſpondeo cauſam eſſe. 1. Quod ſimilis ſimili gaudet. 2. Ipſorum hominum inſcitiam, quare metuunt prudentiam Eruditorum, pudoris cauſa & imparitatis conſcientiâ, ſicuti puer metuit, cum viro congredi, quamvis hunc honeſtisſimum putet.

Et ſicut pauper pannis obſitus ad divitem quemvis hominem accedere. Si qui verò eruditos malos criminantur, aut temerariâ credulitate hoc ſuſpicantur: aut malitioſè agunt, dum criminantur aliorum malitiam, quando ſuam nolunt fateri ignorantiam.

Membrum Secundum. Opiniones Literatorū. Sexta pars Exercitij EGRESSIO. Hic poterit explicari omnis commendatio literarum, necesſitas, jucunditas, utilitas: Et comparationes cum alijs virtutibus.

Hâc parte poteſt dici per conjecturam de reliqua vita literatorum aut illiteratorum ſive de circumſtantijs perſonarum.

Circumſtantiæ illæ ſunt ita conſiderandæ, tanquam occaſio præſentis laudis ac vituperij, unde oſtendatur, quomodo mores in loco communi commendati aut reprehenſi ex iſtis circumſtantijs deriventur.

Pro tempore de Literatis tantum dicemus. Circumſtantiæ hæ ſunt: Origo, Natura, Mores, Forma, officia & relationes aliæ, res geſtæ, Fortuna etc.

In origine ſunt Patria, Majores, Parentes.

1. Patria. In Patria conſiderantur ex quibus gentibus literati extent. 1. Uſus. Quo gens virtute cultior, rerum geſtarum gloriâ celebrior, eò plures aluit literatos.

2. Ex

2. Ex barbaris gentibus & incultis rarissimè literati extiterunt, sed magna sua & gentis laude. Et sunt singulis gentibus quodammodo suæ ætates ut aliquando, quasi sub infantia vivant barbaris impolitisq; moribus: postera paulatim quasi adolescente ætate expoliantur, ingenijs & rebus præclare gestis floreant: donec tandem in senectutem, posteriorum prolabatur ignavia.

2. Majores. Aliquando nanciscuntur claros, quod quo paucioribus contingit eò splendidius est: Sin familiæ nobilitatem ostentare non possunt, satis habent, quod eam nominis, sui claritate illustrant. Et sic ex reliquis circumstantijs applicetur ad rem præsentem, quæcunq; de literatis vere dici possunt; qui parentes, quæ fortunæ, quæ Educatio, mores illis contingant, & applicentur hæc ad laudem. *2. Majores*

Quæ cum ita se habeant, annon in oculis & manibus omnium gestandi erant homines à literis instructi? Sed quid fit, ò secula! ò mores! Distinguatur hic primò, quam indigna patiatur ætas puerilis, literis addicta, à flagellatoribus Hypodidascalis. Secundò. Adolescentes scilicet paupertatem; orbitatem, à patronis; Calumniam ab omni plebè; ab opificibus & horum pueris; à pessimis quibusq; hominum bestijs; ab ipsis sæpè literatis, sive æmulis suis sive patronis & superbientibus propter opes. Tertiò. Juvenes. Dum magna pecuniæ vis & omnis paterna hæreditas in literis absumpta est: promotio nusquam apparet, omnibus coguntur supplices fieri &c. Quartò, Viri tenuissima coguntur conditione vitam tolerare: contemnuntur passim in officijs mandandis: Convitia & caluminæ dicuntur absentibus & coràm: Omnes honoribus invident vel minutissimis &c. Hic narretur historia Demosthenis Oratoris & in hac explicentur misericordiæ movendæ præcepta. *Septima pars Exercitij MISERICORDIA.*

Septima pars Exercitij.

Probet rectè fieri, ut prima literatorum in mandandis honoribus & officijs habeatur in Republica ratio, ex legitimo, justo, necessario &c.

LOCUS COMMUNIS TERTIUS.

Adversus TEMERARIOS *&* AUDACULOS *qui in pericula non necessaria conijciunt se, quales sunt militum vulgus & nocturni Grassatores.*

Exordium.

Prima pars Objectio.

A significatione Humanitatis captat benevolentiam. Figura Elocutionis est occupatio.

Venustissima est auditores nec minus vera poëtæ sententia, ita facilimè sine invidia laudem & amicos parari, Si facilè omnes ferre ac pati possis, nemini adversus sis, cum quibuscunq; unà fueris, ijs ut te des, eorum studijs obsequaris.

Αἰτιολογία à Contrario.

Nihil enim molestius, nihil intolerabilius, nihil fædius deniq;, illà quorundam consuetudine, qui nisi quod ipsi faciunt, nihil rectùm putant: adeò audacter in omniùm consilia, instituta, incæpta invehuntur, quodlibet carpunt & arrodunt. Cujusmodi ingenia equidem ut ineptissima ad omnem non injucundam inter homines habitationem judico; ita quò ab ejusmodi moribus quam alienissimus essem semper operam dedi studiosissimam.

Ἀντίθεσις per Concessionem.

Neq; tamen eò hoc accipiendum est, quasi nullam cujusquam malitiam reprehendere liberum sit, aut in nequam hominum improbitatem omnium bonorum sententijs damnatam vocis libertate uti non liceat. Absit, inquam, absit ista hominum ingenuorum turpissima servitus: ut quam flagitiorum pestem silentio suo impunè grassaturam & in societatem exitij etiam bonos plurimos pertracturam esse, prævident: eam reprehensionis liberæ quasi medicinâ adhibitâ avertere prohibeantur.

λύσις per distinctionē

Quod enim in corporum morbis fit, ut sano quidem homini per vim pharmaca obtrudere medicus non permittatur: ægroto verò etiam, si isti si invito adhibeat, nemo reprehendat: imò omnes culpent potius, si ille per mollitiem repugnanti, facere medicinam, amicis deposcentibus, metuerit: Ita in animi curandis multò sanè gravioribus vitijs rectè à sanis moribus reprehensionem abstinemus: In corruptis autem & omnium prudentum judicio improbatis, licet ij qui laborant minus æquo animo ferant: tamen si quis hic consulendi causa stylum & verborum acrimoniam expediat, nemo nisi iniquissimus arbiter vitio vertere aut non laudi potius dare poterit.

Amplificatio à simili.

Atq; ut quorsum hæc pertineant intelligatis, institui hoc tempore ad vos verba facere adversus temerariam audaciam, præcipuè grassatorum nocturnorum. Quam pessimum hoc sit vitium ex ipsa oratione intelligetis. Quare spero æquos me vos habiturum arbitros, facileq; impetraturum ipsius rei æquitate, ut huic reprehensioni, ut apparebit, justissimæ,

Secũda pa. Exordij à Docilitate: sive Propositio.

veniam detis. Si igitur animis adfueritis qui corporibus adestis, promitto effecturum me, ut cognoscatis hominis insanissimi esse in temeraria pericula se committere, nullius honestæ rei causa, sed aut vel lucelli alicujus gratia aut præ vanitate puerili.

Sanè illa pericula obeunda sunt quæ honesta, quæ cum honestate conjuncta sunt, ubi patriæ periculum te defensorem ac propugnatorem postulat, aut alia honesta ratio invitat, & hoc honesti & fortis animi est. *Secunda pars Exercitij Contrarium.*

Hujusmodi pericula honesta & necessitate obtrusa recusare est turpe. *1. Propositio*

Honesta qui pericula sustinet, non est pro insano habendus, aut ullo modo reprehendendus. *2. Proposit.*

Qui temerè ad quævis pericula aggreditur, non inter bonos ac fortes viros asscribendus est. *3. Proposit.*

Qui laudantur inde, quod intrepido animo aggressi sunt pericula, semper reperientur in ipsa parte, quod scilicet virtutis tuendæ causa contra ista venerint. *4. Proposit.*

In multis vitio datus fuit animus alacrior ad quidvis audendum: quod censerentur nulla impulsi gravi ratione ipsi se in difficultatem eam præcipitasse. *5. Proposit.*

Comparentur audaculi nostri cum navi jactata in mari. Partes hæ possunt fieri. Velum est ira, vel lucri cupiditas, vel temeritas. Clavus est recta ratio. *6. Proposit.*

Ventus & mare sunt variæ peccandi & audendi illecebræ, scopuli, vada, Syrtes, Scylla & Charybdis sunt occasiones periclitandi vel perdendi te & tua. Naufragium est jactura benevolentiæ tuorum, opum, valetudinis, vitæ & famæ, quæ ipsa vitâ charior esse debet. *III. pars Exercitij Comparatio.*

Item Grassatores comparentur cum hirco ad aquas cornua sua speculanti & meditanti.

1. Hircus naturâ non est instructus ad feras pugnas, ut Ursus, sed domesticum & cicur est animal: Ita nostris grassatoribus officium non est fera bella movere, sed pacis sectari studia.

2. Hircus lupo imminente fugerat ad rupem arduam aut ad ovium caulam: Ita nostri quod abhorrerent à re militari ad literarum confugerant ocia.

3. Hircus cum diuturniori pace impinguesceret, & ferocior factus esset, tutis locis cõtinere se non potuit: Ita nostris dulce inexpertis bellũ.

4. Hircus ad aquas descendit, ubi cornua videt & se solum, insolescit, lupum provocat absentem, aëri cornibus minitatur, ventos lacescit, arenam pedibus spargit: Ita nostri umbras nocturnas diverberant, muros urbis stentorea voce deijcere certant, lapides provocant, cœlum armis territant: Scilicet dum soli sunt; & satis se fore videntur sibi vel ducentis tantis, imo hos uno spiritu se difflare posse.

5. Sed eventus ridiculus, lupus vix è dumeto apparebat: atq; ille horrere, trepidare, circumspicere, fugam meditari, tandem deprecari: Et Nymphæ faciles risere: Item aviculæ garrulæ in arborum ramis, alarum strepitu procaci explosere: atq; adeò turpissimum in paludibus ranæ amentem ferociam hirci cachinnis excepere. Lupus medium discerpsit sine ullo negotio cum prius acerbissimâ irrisione delusisset: Ita nostri &c.

Moris est. Respondeo.

Quarta pars Exercitij, Gnome.

Est etiam moris, ut puniantur à magistratu, ut DEO permittente, valetudinis, famæ & vitæ aliquando jacturam faciant. Ille stolidæ ætatis: Hic sapientum hominum, imò ipsius sapientissimi DEI mos est. Quare videant Adolescentes utri malint obsequi.

1. Opinio.

Turpe esset sic includi quasi legum carcere & vinculis, ut nusquam audeas te commovere, puerorum instar. Respondeo 1. Negando hæc esse vincula. Conceditur huic ætati major libertas vivendi, sed quâ non debebant ad licentiam abuti. LIBERTAS est, ut amoto metu ipsi suo arbitrio agant, quæ à pietate & optimis moribus aliena non sunt, magistrorum magis consilio quam imperio subsint, ac regantur. LICENTIA non conceditur, ut ipsi scilicet nequitiæ & malis moribus se dedant: quæ pietati, morum candori, honestæ suæ atq; ordinis nostri famæ adversa sunt, ea committere illis liceat atq; impunè sit. Hic enim à magistratu, imò à DEO concessa est, præceptoribus, autoritate legum & pœnarum lupatis vel severitate ac repagulis eam petulantiam, alijs molestam, ipsis pestilentissimam intra ordinem redigendi. 2. Nego esse turpe hoc: Legum contineri metu non est turpe sed honestissimum, quippe cum sit maximè necessarium & saluberrimum: & eas excutere sit beluinum:

2. opinio.

3. opinio.

Vulgo fit: alij exemplo suo alliciunt. Respondeo 1. per Antesyllogismum: Etiam vulgò pereunt adolescentes & corrumpuntur, multa fiunt prava moribus & vulgari consuetudine. 2. per Inversionem. Igitur tu non facias quod sponte facturus non esses, nisi aliorum exempla

invi-

invitarent: & quod in ipsis reprehenderes, nisi factorum socius esses.

Quinta pars Egreßio, παρέκβασις.

Ex circumstantijs personarum describamus, ex qua gente, quibus parentibus & reliquis circumstantijs hujusmodi audaculi plerumq; existant.

Sexta pars, denegatio misericordiæ.

Quod igitur indigna patiuntur, vulneribus aut plagis conciduntur, vigilum manibus haud molliter excipiuntur, in carcerem compinguntur: videntur culpa sua eam calamitatem sibi accersivisse. Hic primum monstretur quod nihil habeant nobiscum commune, scilicet dum deformant nostrum ordinem turpissimæ famæ contagionem & maculam aspergendo. Item dum militaria non scholastica tractant studia. Item dum ipsi se non à nostro tantum sed hominum planè ordine ac numero segregant, noctuarum scilicet instar noctu circumvolitantes. Secundò, Monstretur: Quod dignè patiantur scilicet exaggerando ipsorum crimina: sunt impij in Parentes, in Præceptores, in omnem & universam Rempublicam: turbant nocturnam quietem; omnium in se inprecationes provocant: Omnes obvios hostes habent &c. Tertiò monstretur, quod quæ patiuntur non sint nimis magna quia facile illorum dolor oblivioni datur: quia sunt medicina, ne in posterum pejus peccent, quia majora meriti erant.

Septima pars Exercitij.

Probet coërcendam esse audaciam istam pœnis: ex legitimo, necessario & reliquis locis.

LOCUS COMMUNIS QUARTUS.

In AMATORES.

Exordium.

Captat Benevolentiam à Modestia nostra, rei ipsius difficultate & necessitate: & ab auditorum laudibus.

Figura Elocutionis est Propositio aliqua Conjuncta quæ urgetur reliquo exordio. Quæ duæ omnis adolescentiæ pestes gravissimæ sunt, auditores, cum ijs ut decertarem hodiè mihi imposita provincia est: Ignavia & Libido. Ignavia enim quod focus ac nidus est, non reliquorū tantum in hac ætate, verum istius præcipuè vitij quod hic accusamus, eo nomine vexanda est: Libido autem ipsa bestia crudelissima est, ad quam oppugnandam & si me DEUS benè juverit, debellendam, in arenam progredior &c. Vide Exord. Cic. pro Quintio.

II. pars NARRATIO.

Quid faciant Amatores quod quidem in oculos incurrat, ridiculum: Quid dum incipiant amare: quid dum indulgent sibi & sectantur amores; quid si potiantur aut si excidant. Describantur in singulis sermones, cantilenæ, vultus. Pallent, gemunt: studia & conatus, profusiones pecuniarum, famæ, valetudinis, ipsius vitæ. Legantur hic Poetæ, Ovidij Epistolæ amatoriæ. Virgilij Eccl. 2. 3. 8. & 10. Et quartus Aeneid. liber. 3. Georg.

Quid juvenis magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Cæcâ nocte natat serus freta: quem super ingens
Porta tonat cæli, & scopulis illisa reclamant
Æquora: nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere virgo.

Tertia pars Exercitij COMPARATIO.

Comparentur stuppæ vel stipulæ aut candelæ: in quibus materies est incendij apta: Ita juvenibus imprudentia apta & obnoxia temeritati & stolidis cupiditatibus. 2. Illa levi attactu ignis accenduntur. Ita hi ineptissimis occasionibus incipiunt furere. 3. Amica quædam videtur esse & arcta conjunctio inter ignem & materiem, ut ægrè possint divelli: Ita inter amantes. 4. Sed exitialis est illa conjunctio utriq; : Ita & hæc inter amantes. &c. Item comparentur cum stolido illo qui aureo hamo piscabatur quem abrosit piscis major aliquis. Hamus est ætas apta optimis rebus addiscendis & gerendis: amor piscis &c.

quarta pars Exercitij CONTRARIUM.

Abstinentia & Castitas est ornamentum Adolescentiæ egregium, Illustretur hoc Inductionibus, Similibus, exemplis, γνώμαις & sententijs autorum. Addantur reliquæ contrariæ propositiones.

quinta pars Exercitij Opiniones

1. Utendum est ætate, cito pede labitur ætas. Respondeo. Utendum: sed ad probitatem potius & famæ honestatem consequendam &

ita

ita ut diu uti poſſis, non ut brevi momento turpiſſimè prodigas.

[*quibus defendunt ſe Amatores. 2. opinio.*]

2. Idem multis ſeculis ante nos factitatum eſt: Etiam nunc moris publici eſt & præbet materiam multorum jocorum. Reſpondeo. Non more ſtolidorum ſed prudentum ſeu potius legibus vivendum eſt. Spectandum etiam non quid alij fecerint multi, ſed quid rectè factum ſit, & quis unumquodq; factum eventus conſecutus.

Certè multi infeliciſſimo exitu iſti licentiæ generi ſe dederunt. Ioci illi ſunt Syrenum cantus.

[*Sexta pars Exercitij Egreſſio.*]

Reddat rationes horum morum ex circumſtantijs perſonarum præſertim ignaviam & ocij ſectationem criminetur.

[*Septima p. Exercitij Præſciſio Miſericordiæ.*]

Neget hos dignos, quorum habeatur ratio, quin omnis generis ſupplicijs eorum cohibeatur luxuries: ex locis hac parte datis.

[*Octava pa. Exercitij.*]

Idem probet ex juſto, legitimo, neceſſario & reliquis locis.

LOCUS COMMUNIS QUINTUS.

In PRODIGOS.

EXordium à modeſtia Oratoris à difficultate rei, à criminatione prodigorum, à laudibus auditorum.

Figura Elocutionis eſt Occupatio.

Ex Oratione Ciceronis pro Roſcio Amerino: Ego delegi mihi hanc reprehenſionem prodigorum omnibus propoſitam & quam omnes rectè inſtitui quidem putant; ſed auſcultare malunt, quam ipſi ſuſcipere. Cauſa mihi eſt non audacia: neq; ardentius præ reliquis vobis virtutis ſtudium, ſed difficultas rei, quæ fecit & ut reliqui præ moleſtia maluerint abſtinere, quod vitio ſibi facilius datum iri putarent: ſi minus aſſecuti fuiſſent rei magnitudinem orationis pari ornatu, propter majorem in his literis profectum: Et ego cupidè arriperem, quod ingenij experiendi hanc occaſionem præclaram nactum me eſſe, tum ſi non ſucceſſiſſet, facilius mihi ignoſci putarent, quod minùs in his eſſem verſatus.

Difficultas eſt, quod omnes impatienter ferimus ea vitia accuſari, quibus ætas noſtra obnoxia eſt. Jam mihi de prodigalitate dicturo adoleſcentiæ noſtræ vitia accuſanda erunt: Ut ſic ipſos penè vos habiturus ſim adverſarios,

Criminatio: Et hoc quidem in gravissimo crimine, quo ipsa vita nostra tanquam homicidio quodam impetitur; Quid enim interest sive vitam sive opes alicui adimas, cum illa sine his salva esse non possit?

Laudes auditorum. Non possum satis aptè de his dicere. Vos me sublevabitis vestra æquanimitate &c.

II. pars Narratio.

Describantur prodigorum facta oculos incurrentia. 1. Circa initia: Ambiunt omnium hominum favorem & gratiam & volunt aliquid videri, præcipuè hoc illis in votis est, ut apud omnes audiant prædivites: itaq; ostentant liberalitatem suam: ab omnibus volunt laudari & palpari ac mulceri: libenter admittunt adulatores, & qui se juvent in profundendis & perdendis omnibus: Rem familiarem tanquam sordes fugiunt: nulli labori adhibent manus: contemptissimè de his sentiunt & loquuntur, & avaros appellant qui laborant: tantum de pecunia ad luxum elocanda cogitant: Omnes adjungunt sibi & familiarissimos habent, vestiarios, Institores, Sartores, aurifabros, Cupedinarios, lanios, cetarios, coquos, fartores, piscatores, aucupes &c.

2. Circa medium. Hic luxuriant, perpotant noctes & dies commessantur, pergræcantur, canunt fidibus, ad amicam ambulatur, histriones & funambulones spectantur, magno cum comitatu in cauponis, lustris, ganeis, luditur, pecunia vestes & suppellex perditur aleâ: Coëmitur varia suppellex vana & inutilis, omnia mirifico instruuntur opere, tesserulis, emblematis & picturis, marmore incrustantur, murice inficiuntur, deargentantur ac deaurantur. In vestibus varietas, pretij magnitudo, colorum ac pannorum nobilitas, spirularum & aliorum παρέργων copia affectatur, lautitiæ & deliciæ Apicianæ adhibentur &c.

3. Eventus. In fine deficit pecunia, hic maledicunt parentibus, qui sumptus negent, æs contrahitur alienum grande, appellant caupones, lotrices, netrices & meretriculæ, cantores, Mediastini, famuli, gnatones &c. Hic morbus miseros incessit quem vocant CORNELIUM: sudant & pallent: ad multam lucem in lecto sunt, ut cogitent aliquam elabendi occasionem. Cogitant sæpè de medijs etiam fraudulentis & violentis etiam scelestissimis, tuendæ famæ causa.

III. pars Contrariū. 1. propositio Parsimonia est honesta. 2. pro. parsimonia nō est turpis.

1. Melius sibi consulerent Adolescentes si parsimoniæ liberali & honestæ darent se.

2. Non enim vitio dandum est, si prudenter & parcè utaris rebus vel à te vel à parentibus quæsitis.

2. Uti.

3. Utinam hoc persuaderi ista ætas posset, quam non tantum nocentissima ad famam, ad res in virili ætate præclarè gerendas: sed etjam turpissima & à virtute ac honestate alienissima sit illa profusio. *3. prop. prodigalitas est turpis.*

4. Nolite, nolite, inquam, putare, mei adolescentes, fore ut laudi alicui futura sit vobis, apud prudentes quidem homines, quorum judicia revereri vestri pudoris & ingenuitatis est, illa sumptuum temerariè prodigendorum immoderatio. *4. prop. prodigalitas non est turpis.*

Comparentur cum Hercule furente. 1. Furor illi à Contagione vestis amatoriæ; nostris à sociorum blandimentis. 2. Eventus utrobiq; longè alius speratur atq; accidit. 3. Furit ille, furiunt nostri & insana moliuntur atq; ab omni ratione aliena. 4. Commiserentur utrinq; cognati succurrere student; nihil promovent, imò etiam læduntur ab istis. 5. Sævit ille in propria viscera; quid aliud nostri faciunt, dum vitæ sustentandæ nervos atq; unicum, subsidium miserandis rapiunt atq; dilacerant modis. 6. Ille liberos interfecit: Hi parentibus vitam exhauriunt præ mœrore. 7. Tandem in ignem ille se: Hi in scelera, in extremam pernitiem, in mortem deniq; fame aut luctu aut manibus suis afferendam præcipitant. *IV. pars Cōparatio.*

Recenseat opiniones quibus sese defendunt: *V. pars Gnome.*

1. Genorosi hoc esse animi.
2. Benefaciendum alijs esse dum vivas; hunc esse usum nummorum, non ut in cistam captivi detrudantur.
3. Omni homini aliquando insaniendum esse: Nunc suos esse caniculares aliquando se redituros ad frugem. *VI. pars Egressio.*
4. Diem extremum esse in propinquo.

Dicat causas horum morum & eorundem turpitudinem criminetur ex circumstantijs. *VII. p. præcisio misericordiæ.*

Monstret digna illos pati. *VIII. pars*

Ex locis universalibus idem probet.

LOCUS COMMUNIS SEXTUS.

In AVAROS.

Exordium captat benevolentiam à modestia, dum redditur

causa suscepti hujus argumenti. Figura elocutionis occupatio cum promißione solutionis, narratione, epicheremate vel conclusione.

2. *A criminatione avarorum.*

3. *Dicitur Summa docilitatis causa ad imitationem Ciceronis in divinatione contra Cecilium.*

SI quis miratur auditores, quod ego, qui per ætatem vix ipse mihi consulere posse videar, tamen in aliorum crimina invehar, præsertim in senilis ætatis illud vitium avaritiam: Si idem causam rationemq; instituti cognorit, & mirari desinet, & me vix commodius eligere potuisse dicendi argumentum approbabit.

Narratio. Ego cum exercere me in his eloquentiæ studijs decrevissem, aliud atq; aliud argumentum tentavi: aut ampliora videbantur singula, aut à mea intelligentia remotiora, quam ut aliquod operæ precium in istis à me fieri posse sperarem.

Solutio. Dolui sane eam me experiri initiorum difficultatem. Itaq; abstinere plane operam penè certum apud me erat, donec major aliquis in istis profectus acquireretur. Verum neq; hunc, nisi experimentum aliquod fecissem, acquirere me posse, perspiciebam: & sic qua re declinare hunc laborem volebam, eâ maxime incitabar.

Epicherema Hanc igitur contra avaritiam accusationem suscipere placuit, quod præ reliquis non ita remota ab ingenio & facultate mea propter vulgaritatem eorum, quæ in hanc dici solent, videretur.

Criminatio avarorum. Et si maximè non argumenti aliûs inopia, aut præsentis facilitas invitasset: perpulisset tamen ipsius vitij indignitas. Quam enim vitæ partem, quod pietatis officium, quos mores adeò sanctos & religiosos, integros ac impollutos nobis reliquit fœdissimi hujus vitij lues ac contagio?

Summa. Dicam igitur de avaris, & breviter avarorum hominum turpissimos mores ob oculos vobis statuam, ut maturè diligentissimeq; adultiorem ætatem nostram ab hujus impetu ac hostilibus machinationibus communiamus.

Secunda pars exercitij Contrarium.

I. Propositio. Liberalitas & honestus pecuniarum usus est optimum

mum ornamentum vitæ.

2. Eadem non eſt turpis aut noxia.

3. Sordes illæ ut appellantur ſunt verè ſordes? famam, conſilia ac incepta omnia & totam vitam peſſimè conſpurcant.

4. Tantum abeſt ut à ſanis hominibus laudentur.

Tertia pars Narratio.

Exponat acta ſingularia avarorum ridicula & ſermones, quibus produnt avaritiam homines.

1. Quam ſint meticuloſi, quam ſollicitè agant: a cibo, potu, ſomno abſtinent: ſurſum deorſum curſitant, triſtitia ex omni apparet vultu, Semper gemunt, nonnunquam etiam flent.

2. In cibo & potu miſerè ſe habent: Pane & Sale victitant: olus inſipidum ex jure heſterno liguriunt, aquam bibunt, & tamen conqueruntur ſe nimis carè & largiter vivere. Sæpe à prandio & cœna abſtinent, ut comparcant: & dicunt hoc ſufficere naturæ, & ſanitatis cauſa facere ſe: Sordes & cineres a panibus non reſecant, peccatum eſſe aiunt, panem ita abijcere pedibus conculcandum, Lardum cum corio aut tergore infumato, piſces inſolatos & carnes crudas vorant quod ſic diutius ſuffectura fami putant. &c. Sic porro narrentur ipſorum facta & ſermones in acquirendis pecunijs & conſervandis, in erogandis, ſi uſus ſit: in amiſsis forte fortunâ, in periculo amittendarum. Item in honoribus, quomodo omnibus ſupplices fiant quorum gratiâ aliquâ videntur quid lucrari poſſe. Item quomodo ſe viliſsima pecora æſtiment ipſi. Item in humanitate: huc pertinent elegantiæ ſordidatæ, in inceſſu, in veſtitu, in munditie totius corporis. Item in jocis quam ſint inſulſi: In veracitate vel ſimulando. Simulant ſe pauperrimos, & queruntur ſuam tenuitatem. Demum in negotijs ſunt defraudatores.

Quarta pars exercitij Comparatio.

Comparentur cum aliquo iſtorum animalium, in quæ virgilij, ut feruntur, verſus ludunt.

Sic vos non vobis nidificatis aves:
Sic vos non vobis mellificatis apes:

Sic vos non vobis vellera fertis oves:
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Quinta pars γνώμη.

1. Opinio. Vitam nostram plurimis, egre agunt. Respond. At non infinitis; statuendus est modus cupiditatum.

2. Plurimos minus curantes rei familiaris in miserrimam devolutos esse egestatem. Respond. fugiatur igitur ista Charybdis sed & hæc Scylla. Ita enim fumus fugiendus est ne in ignem incidas. Stulti dum fugiunt vitia in contraria currunt.

Sexta pars exercitij Egreßio.

Monstret unde hoc vitij sit: quibus ut plurimum nascantur parentibus avari, quâ naturâ, educatiòne, alijs moribus &c.

Septima pars exercitij præcisio misericordiæ.

Odium avaris moveat, quod plurimis modis sint turpes & noxij homines.

Octava pars exercitij.

Probet mulctandos thesauris illis suis, ut abstrahantur à malitia & hoc ex locis universalibus necessario, justo &c.

LOCUS COMMUNIS SEPTIMUS.

In SUPERBOS

Exordium instituatur à neceßitate ipsius argumenti. Figura elocutionis sit simile.

IN corporum morbis illi videntur salutarem Reipublicæ operam præstitisse qui adversus luem aliquam publicè grassantem aliquid præsentissimi remedij, aut ipsi invenerint, aut aliunde etiam acceptum publici usûs fecerint. Quare & hæc oratio merito debet esse grata

quæ contra Superbiam turpisſimam morum optimorum labem inſtituta fuerit. &c.

Secunda pars exercitij Contrarium.

1. Modeſtia eſt pulcherrima virtus valde ornans omnem ſanè ætatem, imprimis vero adoleſcentiam.

2. Modeſtia, ſi ipſe de te quam tenuisſimè opineris ac ſubmiſſe te geras, omnibus honorem ac reverentiam præſtes, non eſt vitio vertenda, quod à multis corruptisſimi judicij hominibus fit.

3. Intolerandum & deforme vitium eſt ſuperbia.

4. Si omnium primus tibi eſſe videaris, neminem parem agnoſcas, faſtidio intolerabili adverſus omnes te efferas, iſtos inquam mores annon indignum eſt vulgò, ab ijs, qui ſcilicet ſunt affines, commendari?

Tertia pars exercitij Narratio.

Exponatur hic quibus rebus prodant ſuperbiam. 1. IN PERICULIS: antequam illa adſint omnia ſe difflare, ruere, rumpere, rapere, proſternere velle comminantur. Ut illud huc conveniat Poëtæ.

Digna atq; indigna relatu
Vociferans &c.
Ibat & ingenti ſeſe clamore ferebat.

POST PERICULUM vel in tuto conſtituti, vah quanta ſua narrant facinora?

Videatur Plauti miles gloriosus

2. IN PECUNIIS: In Sermone meras has crepant: ſive illas aliquas posſideant: ſive mediocri re familiari ſint: ſive etiam omnium egentisſimi. Nummos ipſos ubiq; oſtentant: Præſentem circumferunt ſecum pecuniam & nullis conſtrictam loculis, & aliqua majuſculà copià, ut commoventibus ſe iſtis longius posſit audiri ſonus. Et frequenter numerant alijs præſentibus: & ſibi perijſſe aliquam pecuniæ ſummam præ negligentia dicunt, ſed arrident ac contemnunt. Conqueruntur ſibi deberi à nobili aut principe aut alio divite homine, nec poſſe ſe nummum impetrare. Quærunt de moneta commutanda: nummos minutulos contemnunt, omnia licitantur etiam precioſisſima.

3. IN VICTU magnificè volunt apparari omnia, quantumvis

minus delicata: Servitia ad mensam astare, ad nutum ac tussim Domini manus osculari, & quærere ecquid libeat.

4. In collatione ad alios: majoris loci atq; ordinis homines oderunt, pessimè loquuntur de absentibus, criminantur superbiam.

Pares & INFERIORES Vili habent: volunt se in oculis gestari, aut accusant illos imperitiæ. NATALES Suos & originem deducunt à principibus & nobilissimis familijs, vel etiam ab ipso Jove. Semper in ore habent familiaritatem suam cum viris magnis & quid cũ illis olim negotij gesserint, & quid locuti fuerint. In honoribus conferendis vel expectãdis alij callidiores norũt dissimulare: alij crassiores, produnt se sponte, certant, litigant, exprobrant, Utriq; querulantur non haberi rationem bonorum, doctorum, industriorum in mandandis officijs, se autem intelligunt.

In collatis honoribus magis ac magis insaniunt, & pavonis instar collaudati pennas explicant; omnibus imperare volunt, sapientissimos, honestissimos omnibus virtutibus & omnium bonorum genere instructissimos & politissimos se esse arbitrantur. In denegatis honoribus irâ exardescunt, contumeliàs & vim expediunt, sibi ipsi præ impatientiâ, aut luctu diuturniori aut violenta manu mortem afferentes.

5. IN IRA levi occasione commoventur: quia facile suspicantur se contemni. Hanccine ego contumeliam tam insignem ut feram dicent, si forte amica cum alio viro collocuta fuerit, & isto quidem præsente. Et gravissimè quidem exardescunt: Mori me satius est dicebat Thraso. Sed ridiculo eventu una mulierculæ lachrymula vix vi expressa omnem istam flammam atq: incendium universum extinguet aut si à verbis ad rem eatur.

6. In elegantijs, in incessu, vestitu, verbis, vultu, mistace, armis. Omnia magna: ut vaccæ illius apud Virgilium 3. Georgicorum.

Cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent
Tunc longo nullus lateri modus omnia magna,
Pes etiam & camuris hirtæ sub cornibus aures.
Sic nostris setosumq; caput; frons torva, & plurima circum
Longè amplexa ambit cervicem lintea nubes.:

Et poplitum tenus umbra à vertice plumea pendet:
Tum tumidis nullus caligis modus. Omnia magna,
Vox quoq; & indigenis malè collita barbara verbis.

Sed & inceſſus ita lepidè, ita venuſtè ab eodem poëta expreſſus, ut nihil ſupra 10. Æneidos.

-Ingentem quatiens Mezentius haſtam
Turbidus ingreditur campo quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medij per maxima Nerei
Stagna, viam ſcindens, humero ſupereminet undas.
Aut ſummis referens annoſam montibus ornum,
Ingrediturq; ſolo & caput inter nubila condit:
Talis ſe vaſtis infert Mezentius armis.

7. Diſſimulationem & ſimulationem oderunt: quod ipſi tacendi ac loquendi artem non didicerunt. Adulatores tanquam alteram animam ſuam amplectuntur.

8. Jocos poſſunt ferre in alios dictos, in ſe non item: Inſulſos reddunt, quos tamen putant lepidiſſimos eſſe, & cum nemo rideat, quomodo alij olim riſerint, narrant. Omnes qui aderant riſu emori.

Quarta pars exercitij. Comparatio.

Cum Narciſſo qui ſuo ipſius amore peribat lib. 3. Metamorphoſeos fabula 6.

Item cum flammâ, quæ ſupra fumum eminere vult, & ſic nutrimentum relinquens evaneſcit. Item cum Tantalo qui ſitiens fugientia captabat flumina. Item cum inambulantibus in umbrâ.

Quinta pars exercitij γνώμη.

1. Eos ajunt eſſe nunc mores, ut impudentia optima atq; unica ſit ad honores aſcendendi via, & niſi te ipſe ingeras, atq; obtrudas ſpe excides: &

Heu fruſtra alterius magnos ſpectabis aceruos
Concuſſaq; famem in ſylvis ſolabere quercu.

Reſpondeo. 1. Per Indignationem: eò deveniſſe rem communem, eo mores abiiſſe, ô mores!

2. Negando apud prudentes homines valere iſtas artes & non

potius

potius verecundiam in tribuendis honoribus præcipuè ſpectari.

Eſſe eam animi quandam magnitudinem.

2. opinio. Reſpondeo. Per riſum & Ironiam comparando iſtos cum viris magni animi.

VI. VII. & VIII. partes ipſe finge.

LOCUS COMMUNIS OCTAVUS.

De MODESTIA.

Exordium à commendatione rei. Figura Elocutionis aſſumtio.

1. aſſumptio CUm in omni homine ad eam partem procliviores eſſe debeamus, ut quæ ad laudem pertinent, ea ſeligamus atq; amplectamur lubentiſſimo animo, à vituperatione abſtinentes: tunc præcipuè hoc in illis obſervari volumus, qui hoc candore erga alios uſi ſunt. *2. αἰτιολογία.* Sive quòd latens atq; abdita quædam virtutis natura ad eum ſui amorem invitet: ſive quòd hac noſtra commentatione, virtutis ſtudium pro noſtra virili portione promotum cupiamus. *3. Accommodatio vel docilitas.* Quæ cum ita ſe habeant, quis jure eam orationem reprehendere auſit, quæ in modeſtiæ commendationem ſuſcipiatur? Quid enim modeſtia eſt? an non ea virtus quæ omnem oratorem in ipſo ad cauſam aditu auditoribus commendat? quod enim ignotum vobis eſſe non poteſt, ex hujus virtutis apparente quadam facie in ipſo orationis veſtibulo, conciliatur auditorum animus & adjungitur ad uſum dicentis: hujus autem mira quædam alacritas excitatur ac fovetur. *4. Propoſit.* Quare non pro dignitate quidem, neq; enim ita arrogans ſum, ut hoc mihi tribuere audeam, ſed tamen pro ingenio, pro eo quem non ego tantùm debeo, ſed quo vos omnes ardetis hujus virtutis amore ac ſtudio, pro temporis demùm ratione, quæ occurrent in medium, afferamus. *2. pars Narratio.* Quid agant modeſti undè agnoſcuntur, & maximè ſuaves ſunt iſtorum hominum mores. 1. In periculis non obtrudunt quidem ſe, ſed ſi provocentur non tergiverſantur. Tunc non multa promittunt, ſed excuſant imbecillitatem ſuam, ita tamen ut ſubire non detrectent. Hujus generis eſt illud

Entelli

Entelli factum 5. Aeneid. qui dum Dares tota castra provocat, patitur quidem id, verum cum ipse increparetur ab Aceste, excusat quidem, sed ita ut prodeat in arenam tandem. Et gravis oratio est.

Non laudis amor, nec gloria cessit
Pulsa metu. Sed enim gelidus tardante senecta
Sanguis hebet, frigentq; effœtæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaq; improbus iste. &c.

In periculo sunt constantes, acres & vigentes. Sic noster,

Stat gravis Entellus Nisuq; immotus eodem.
Tum pudor incendit vires & conscia virtus,
Præcipitemq; Daren ardens agit æquore toto:
Nunc dextra ingeminans ictus nunc ille sinistra.

Eluctati autem gaudēt sanè ostentatione suæ alicujus virtutis, admistâ tamen & colorante quasi verecundiæ purpurâ. Neq; hoc adversum est modestiæ, ut:

- dum Palmam Entello taurumq; relinquunt,
Hic victor superans animis tauroq; superbus,
Nate Dea, vosq; hæc, inquit, cognoscite Teucri,
Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires. &c.

2. De Pecuniis, in sermone rarò mentionem faciunt, quia putant non in opum possessione sed virtutis consistere commendationem. Si omninò facienda mentio est, neq; prædicant neq; extenuant: sibi sic satis esse, ajunt, Dei gratiâ, undè necessariâ suppetant. Referantur cogitationes ad contraria eorum quæ superiori exercitio in hac parte dicta sunt. Superbia est fœdum vitium. 2. Superbia non est in virtutibus & ornamentis habenda. 3. A modestia prudenti, adolescenti homini præsertim oritur commendatio. 4. Non debet modestia vitio duci. Comparatio cum arboris semine. Hoc ex alia arbore est: ita modestia ab aliorum discitur exemplis. 2. Hoc intus in terram abditur, ita ad virtutem hanc ipsum animum oportet assuefieri. 3. Crescit occulto ævo omnis arbor, ita diuturniori tempore maturescit, hujus virtutis surculus. 4. A sole ac pluvijs incrementa capit arbor: ita modestia à laude & gratia virtutum nutriculis. 5. Arbor tempestates experitur, ita modestia calumniam. 6. Tempestatum vehementiæ arbor cedit, & sic periculum fractionis evadit:

3. p. contrarium.

4. pars.

Ita hæc virtus hoſtili adverſationi. 7. Tandem arbor ad eam magnitudinem excreſcit, ut à tempeſtatibus non metuat, ita tandem modeſtiæ bona cauſa triumphat.

5. pars Gnome. Opiniones præclaræ de hac virtute ſunt: naturâ ad ſuperbiam proclives ſumus: & ſic medicina quædam eſt modeſtia. 2. honores parit. 3. amicitias adjungit. 6. 7. 8. pars jam ſunt notæ.

LOCUS COMMUNIS NONUS.

Contra Iracundiam.

EXORDIUM ab argumenti commendatione. Figura Elocutionis eſt ſententia ex quarto progymnaſmate.

Ira furor brevis eſt.

Paraphraſ. Eleganter dixit quisquis eſt author. Hoc voluit, eos qui ira efferveſcunt, parum ab inſanis abeſſe, adeoq; impeditæ eſſe rationis, ut nec quid agant, aut quid perſequi, quid præcavere oporteat, ſatis ipſi ſibi conſulere valeant. *Inductio. 1. à partibus ſubjecti.* Et hoc veriſſimum deprehenditur, ſi cogitemus exempla, quàm inſanire videantur fortè excandeſcentes aniculæ, aut pueri, aut ruſtici, aut ebrij, aut alius aliquis de plebecula. *Inductio à partibus prædicati.* Quomodo fremant iſti, ferveant, tremant, toto vultu exalbeſcant, labra mordeant, dentibus infrendant, ea omninò agant ac loquantur, quæ à mente ſana nunquam proficiſcerentur. *Contrariũ.* Undè ſi quis ſanè eſt homo paulò prudentior, diligenter cavet ab iſta commotione, tanquam ab aliquo furore. *Simile.* Quid enim aliud eſt iratus quàm Euripus quidam turbinis ac ventorum excitatus agitatione, ut non continere ſe queat, obicibus ruptis, ut poëta ait: effundat ſe in cœlum, fluctus jactet, & variè collidat, non ſine vehementi obſtupefactione ſpectantium, quid dicam Jactatorum. *Exempla. Adelph. act. 5. ſcen. 3.* Cogitate mihi Demeam Terentianum, & leviter ſanè, ut ſibi videtur, inſanientem: Hei mihi quid faciam? quid clamem? aut quid querar? ô cœlum ô terra? ô maria Neptuni? Aut Getam ſervulum: *act. 3. ſce. 3.* Vix ſum compos animi, ita ardeo iracundia, ſeni animam extinguerem, Syrum impulſorem vah quibus lacerarem modis: Aut Ajacem apud Ovidium.

Hectora qui solus, qui ferrum, ignemq; Jovemq;
Sustinuit toties, unam non sustinet iram:
Invictumq; virum vincit dolor. *Ultimo Metamorph.*

Pulchrum est illud Poëtæ veteris: *Aliæ sententiæ.*

Iratus etiam facinus consilium putat: tanta est insania, ut qui maximè desipiat, sapere tamen sibi videatur. Et illud ex sacris: Ira hominis justitiam non operatur, sive non poterit se continere intra Justitiæ limites homo ab iræ violentia abreptus. Operæ precium igitur fuerit contra istud iracundiæ vitium, plus æquo sanè familiare in medium quædam afferre: quod quò gravius mihi sanè onus est, eò libentius alij cuilibet auscultarem quàm ipse dicerem, ita tamen ut cum mihi impositum sit, non esse animum abjiciendum planè, sed quantum quantum est, sustinendum censeam, si vestra in judicando æquanimitas nonnihil quasi humeris partem aliquam subeundo adjuverit. *Conclusio habet docilitatem vel proposition.*

Quid faciant Iracundi: in periculis: in victu: circa pecuniam: circa honores: in ipsa commotione, quando se contemni putant, quali vultu, oculis, toto corpore appareant: quid loquantur ac quomodo: Quomodo amoliri conentur adversa, ad arma volent, in pericula certissima conijciant se, irrito conatu ut Priamus, *2. Narratio*

Quanquam in mediâ jam morte tenetur:
Non tamen abstinuit, nec voci iræq; pepercit.
At tibi, pro scelere; exclamat, &c.
Telumq; imbelle sine ictu conijcit &c.

2. Æneid. Quomodo imprecentur, convitia dicant: lachrymentur, quales sint in simulando & dissimulando, quales in jocis, in suavitate convictus & amicitia, in negocijs vel contractibus, ad facinora sunt proclives.

1. Iræ posse temperare est maturi & prudentis animi indicium. *3. pars Contrariū.*
2. Non est ignavia. 3. Exardescere verò & effervere est mollities quædam, nisi id forte officij exigat ratio, & qui spontè morigerari debebant, reprehensionis & pœnæ severitate adigendi sunt ad facienda ea, quæ jubebantur. 4. Extra hunc casum pronitas ad iracundiam, tum ipsa vehementior commotio valdè hominem deformat. Unde quibus chari esse volumus, & â quibus magnifieri, his præsentibus irasci veremur, ne turpitudine abalienemur, & hinc etiam veniam preca-

ri ſolemus, & excuſationem afferre commotionis.

4. Comparatio.

Acutiſſimè judicavit Ariſtoteles, qui iracundos cani perſimiles dixit: 1. Ille pervigil & attentus ad omnem ſtrepitum ac moleſtiam: ita hi obſervantes rerum ſibi adverſariarum & perſpicaces. 2. Ille fidus ſanè dum damni avertendi cauſa advigilat, cavet ne quid capiat detrimenti res herilis: ſed in eo infelix ac miſer, quod non à ratione inſtituitur ac regitur, ideoq; ſæpè errat, ut periculum denunciet ubi nullum eſt, & alicubi ſileat quòd furem amicum putet, aut aliud damni non rectè intelligat: ita noſtri non inhoneſti quidem, id unicè ſolliciti ſunt, ut famam tueantur, ſed prudentiæ duce carentes obſequuntur iracundiæ raptui. 3. Ille celeriter levi occaſione excitatur, ſubſilit, magnas turbas dat, omnia perſonat latratu: ita noſtri de lana caprina ingens rixarum bellum conflant. 4. Ille catena aut loco conſtrictus tanto acrius ſævit, ita hi ſi deterreas & adverſeris. 5. Ille ſi poteſt, dentibus impetit ac lacerat ſæpè innocentes: ita hi ad arma ad necem etiam præcipites ruunt. 6. Ille familiarium irritatur blandimentis, increpatione compeſcitur; ita hi uxoris aut domeſtici alicujus minis aut graviori reprehenſione.

5. pars γνώμη vel opiniones quibus ſe defendũt

1. Ira, inquiunt, eſt cos fortitudinis. Reſponſio: Si modus adſit: ſi rationis habenis coërceatur. Aliàs fiet quod in ferro ſi diutiùs ad cotem teratur, ut ad nimiam aciei ſubtilitatem redigatur, & manibus tractari non poſſit quin lædat. 2. Ajunt non poſſe ſe ſibi imperare? Reſponſio: conſilium ſuggerit Horatius:

Animum rege: qui niſi paret,
Imperat. Hunc frenis hunc tu compeſce catenis.

Paraphraſis.

Vim quodammodo iræ adhibe, canta tibi ipſe, quam turpe, quàm periculoſum ſit ab iſta furoris inflammatione abripi: ſi naturæ proclivitas ad aliam invitet partem, tu rationis ac prudentiæ & venuſtarum ſententiarum lupatis tetrorſum trahito ac prohibeto.

6. pars. Egreſſio vel παρέκβασις.

Dicat cauſam & occaſionem horum morum ex circumſtantijs perſonarum: idq; in partem malam vel cum reprehenſione. Quemadmodum tutius mari ſe committunt, qui ſcopulos brevia & Syrtes diligenter notata habent: ita prudentius in vita exiſtimo verſaturum, ſi quis non tantum à vitijs cavendum eſſe noverit, verum etiam occaſiones ad ea offendendi, quaſi ſcopulos quosdam aut ipſe obſervaverit,

aut

aut ab alijs animadversas cupidè studioseq; attenderit. Itaq; auditores ad eas occasiones undè fit ut in iracundiam plerumq; dilabantur, animum orationemq; referemus. Principio autem gentis undè orti quisq; sumus, quædam barbaries multis ad eam animi incontinentiam fomes ac causa fuit. Quò enim natio aliqua ab humanitatis quasi cultura remotior, eò ad crudelitatem quandam & iræ immoderationem propensior. Unde qui ab istiusmodi naturam & generis originem ducunt, etiam morum hanc feritatem attrahunt. Quemadmodum enim leonum catuli non tam imitatione, quàm ingenerata quadam bestijs sui generis indole rugitus edunt, prædam sectantur: minorum virium animalibus obvijs ungues injiciunt: ita ex populo aliquo ad immanitatem projecto oriundus cum natura etiam mores istos communes plerumq; habet.

1. Circumstantia patria vel natio barbara vel non. Expolitio 1. per Synonymiam. 2. per simile

1. Digressio per correctionem.

Quanquam etiam in excultis populis invenias nimis multos plus justo severos & ad iram propendentes. Ubi sæpè parentum culpa fit, ut vel cum lacte materno furores illos imbibat infantilis ætas, vel adultior exemplis iracundorum corrumpatur parentum, Aut si etiam ab hac culpa alieni fuerint, in eo tamen sæpiusculè peccant, præsertim matres, quod teneræ ætati nimis parcunt, nimis tribuunt, nimis patiuntur eam suo more vivere. Undè cum parietibus domesticis egressi sunt, nec ita tenerrime ab alijs se observari sentiunt, facilè adversus istos excandescunt, à quibus non offenduntur quidem, sed saltem non satis honorificè pro opinione sua habentur. In plerisq; tamen fit, ut cum non tantùm in parentibus nihil desiderari possit, sed etiam optimam in liberos indolem visi sint propagasse; tamen aut malitiæ indulgentes liberi, aut prava institutione miserè seducantur. Multos enim impelli animadvertas, ingenita quadam propensione vel ad suspicionem, vel ad superbiam, vel ad morositatem quandam, vel etiam ad fortitudinem & audaciam: undè ijdem ad irascendum faciles: item eos qui choleræ vel flavæ bilis multitudine abundant, frequentibus iracundiæ stimulis exagitari, communis fert opinio. Ubi quò difficilius est affectûs vehementiæ imperare: eò accuratiorem oportet adhiberi operam ab eo qui institutioni præest, ut hæc repugnatrix naturæ vis quàm maturimè debilitetur. Verum ita fit, ut pleriq; ex istis quorum

3. 4. 5. possunt addi contraria exempla, sententiæ authorum. 2. Circumstantia parentes malorũ morũ.

Parentes, Bonorum morum.

3. Circumstantia Natura mala vel bona.

4. Circumstantia. Educatio.

officij est, negligenter hoc exequantur, aut nimia ignavia relaxent frena, aut ipsi intempestiva acerbitate irritent. Nonnunquam cum etiam rectè ab hac parte provisum est, ea tamen deprehenditur vitij hujus lubrica quasi levitas, ut instar serpentum aut aquarum pluviarum, vel angustissimis rivulis aut occasionibus in animum se insinuent. Atq; hinc accidit, ut postquam omnia à parentibus & præceptore sedulò diligenterq; facta sunt, tamen ubi ex Ephebis excesseris, tandem custode remoto: vel saltem ubi jam matura virum te fecerit ætas, à consuetudine quadam vivendi sæpè non mala, nisi caveris, ad hanc iræ intemperantiam inviteris. Qui enim periculorum metum sustinere animo præsenti assuefacti sunt: quod metu isto tanquam freno quodam remoto, aut remissius adducto minus continere se valeant, qualibet occasione & non leviter quidem accenduntur. Hæc mollities extenuat omnem illam fortitudinis laudem. Turpissimum enim est quando dicitur: Hectora qui solus &c. Et huc pertinet fabula de Pegaso & Perseo. Multò magis hoc accidet audacibus, ut modum intra non observent, quippe qui ad quamvis molestiam depellendam mollissima quasi aura excitantur. Item si quis studiosior fuerit honestæ parsimoniæ & rei familiari deditus, iniquius feret aliorum maximè suorum profusiones, ut Demea Terentianus: sed nihil efficit ista stomachatione, nisi ut sibi molestiam creet, istis intempestiva reprehensione animum addat, quo libeat magis voluptati obsequi. Gravior est hominum tenacium & avarorum commotio adversus istos, quos alieniores à suis moribus vident, & in pecunijs profundendis vel etiam honestè elocandis paulò liberaliores. Bis ridiculi homines, qui & ipsi ab honestate aberrant, & præterea nihil rectum putant fieri nisi quod ipsi faciant. Sic porrò reliqui describantur mores, quatenus sunt occasio iracundiæ: Deinde dicatur de virtutibus intellectualibus, hominibus eruditis & ineruditis & in quolibet genere peritiæ, & qui ad hoc vitium proclives sint ex istis: item genera vitæ & sexus & corporis figura & actiones vel negotia & reliqua, quæ possunt esse materies iracundiæ afferantur ex 2. progym. 7. 8. pars in alijs describuntur.

5. Circumstantia à moribus bonis & malis digressio à simili.

Species morum. 1. Fortitudo.

2. Audacia

3. Liberalitas.

4. Avaritia

LOCUS COMMUNIS
DECIMUS.

DE

DE MANSUETUDINE.

EXORDIUM à commendatione argumenti: Figura Elocutionis gnome ex 3. progymnasm. Verè gemmea est illa Ciceronis sententia in aurea pro Marcello ad Cæsarem oratione: *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare: hæc qui faciat non ego illum cum summis viris comparo, sed simillimum DEO judico.*

Egregia sanè Mansuetudinis commendatio, & digna tum ipsa virtute hac, tum tanto hujus laudis artifice Cicerone dico eloquentissimo. Nam quid poterit eâ dici angustius? tantum scilicet laudis ab hac virtute accedere ijs, qui ea ornati fuerint, ut non sufficiat communibus cum alijs laudatissimis viris prædicationibus efferre, sed ijs præconijs & quodammodo hymnis decantandi sint, quæ ultra humanam sortem constitutis semideis aut herois asscribimus. Addantur hic Inductio, contrarium, simile, exemplum, sententiæ aliæ, demum conclusio per accommodationem ad rem præsentem, vel digressio ad propositionem. Exempli gratia: dicam de mansuetudinis, quæ iræ moderatrix est, insigni necessitate, & quantum hæc ad vitam ornamenti afferat. *Paraphrasis.*

Narretur hic quid agant mansueti, quomodo imperent sibi, & quàm placidi ac clementes appareant in periculis. Propositio. 1. Nimia sævitia valdè reprehendenda est. 2. Non est commendanda. 3. Item nimia lentitudo & ignavia, si officij causa excandescere debebas, & pateris alios abuti tua lenitate, à quibus metuendus eras: hæc est in vitijs ponenda, & non laudanda. 4. In medio posita est moderatio animi, qua temporum locorumvè conditio, personarum officiorumq; ratio, causarum pondera, culpæ ipsius cum commotione æqualitas & alia accurratè attenduntur. Hæc prudentiæ summæ est. 5. Non est vituperandum si sic excandescat quis, aut etiam lenis & lentus sit, si ita exigat ratio. Item huc addi potest narratio de utrisq; istis moribus malis nempè de Iracundia & lentitudine. *2. pars Narratio.* *3. pars Contrarium.*

Comparetur mansuetus cum forti. 1. hic hostes vincit: ille seipsum. *4. pars Cōparatio.*

Forti-

Fortior eſt qui ſe quàm qui fortiſſima vincit.
2. Ille lapides murorum frangit : hic animi iracundiam vivam
atq́; obluctantem. 3. Ille contra hoſtem adverſum videns ac vigi-
lans pugnat : hic ſemper adverſus inſidiantem. 4. Ille belli tempore:
hic pacis prodeſt. 5. Ille hoſtem â mœnibus : hic â moribus & anima
pellit. 6. Ille adverſus externum hoſtem, hic adverſum internum &
non tantùm ijsdem mœnibus aut parietibus ſed cute etiam concluſum.
7. Ille armis ac vi contendit : hic rationè & conſilio. 8. Ille à vul-
neribus corpus: hic â vitijs animum defendit. 9. Ille non ſine ſanguine
digladiatur : hic amica compoſitione quanquam non ſine acerrima
contentione bellum conficit.

5. pars Gnome. 1. Digreſſio per Epiph.

O homines verè non communibus tantum ſed plus quam huma-
nis laudibus ad cœlum usq́, extollendi? ò aurea vivendi ratio, & ple-
na prudentiæ? nam ut eò vos nunc deducam, hæ illi hominum gene-
ri cogitationes, hæc conſilia, quæ dies noctesq́; animo ſuo volvunt.
1. Opinio. Ita ſecum rem reputant : per ſe aliena imperia eſſe gravia:
quibus ſi accedat acerbitas quædam ejus qui præeſt, ut durius & incle-
mentius tractet, increpet, puniat ſubjectos : ita fieri ut iſti planè into-
lerandi videantur, hi miſerrimi, atq́; hinc cogitent, quomodo magis
ac magis expediant atq́; abrumpant ſe. 2. Præterea etiam illud conſi-
derant, quod videtur ſtoliditas ac fatuitas quædam eſſe iſta gravior
commotio, ſcilicet ubi ſuccumbit rationis imperium, ac deijcitur ab
iracundiæ violentia. Quare quàm longiſſimè abeſſe debet. 3. Cle-
mentia verò & placabilitas iſta perſuavis ac grata eſt non alijs tantùm
ſed ijs potiſſimum, qui dicto tibi audientes eſſe coguntur, ut non
hominem te, ſed Deum aliquem aut Angelum coràm intueri ſe, ſibi
videantur.

6. pars παρέκ-βασις ſi-ve Egreſſio. 1. Circumſt. Natio. 2. Circumſt. Parentes.

In his moribus fit quod aliâs ſolet, ut reliqua vita reſpondeat ac
conſimilis ſit. Quæ enim natio culturæ legum & artium dedita eſt?
quin ex hac oriundos rarius videas, qui non etiam manſuetudine per-
politi ſint cives? idem, parentes ferè nacti ſunt placidiſſimos homi-
nes, aut qui ſaltem ſi quid ipſi in hoc morum genere paſſi ſunt huma-
ni, id ſtuduerunt, ut in liberos propagaretur quod in ſe odiſſent qui-
dem, ſed per inveteratam conſuetudinem non ita facili negotio abo-
lere poſſent vitij. Aut etiam parentibus officium negligentibus: eo-

3. Circumſt. Educatio.

rum

rum beneficio quibus enutriendæ atq; informandæ primæ indolis cura demandata fuerat, ad eam animi morumq; lenitatem assueti sunt. Rara est illa animorum nobilitas, ut cum malis parentum, præceptorum convictorumq; ingenijs conflicteris: tamen possis ipse vitæ tuæ modum habere. Plerumq; autem ut ad omnem nequitiam, ita ad hanc vehementiam allicimur & exstimulamur naturæ quadam improbitate. Quare non minori studio, labore, contentione, constat hæc animi domitura, quàm Herculi suæ victoriæ. Fœminæ sibi difficilius possunt temperare in iræ initijs, sed faciles sunt in ijsdem susceptis deponendis. Virorum ira violentior est, ut instar tonitrus perrumpat, cum illa muliercularum iracundia tanquam fulgur quoddam, qua celeritate eruperat, etiam dissipetur. Itaq; insigni cum laude fit: si utriusq; violentiam sub rationis imperium cogamus. Viri fortes ut magno utuntur suo commodo, illo iræ impetu, ita etiam oportunè refrenare norunt, ne ultrà erumpat quàm aliorum prudentium hominũ judicia permittant. Et ut intemperantia, quasi ægrotum animum præ crapulæ doloribus, facit pronum ad excandescentiam: tum affligit atq; eneruat rationem, ne sufficiant vires in retinendo animo à rationis præscriptis abeunte: ita temperantia maximè juvat mentem in comprimenda bile. Jdem etiam reliquas virtutes facere sentiendum est, & comprobat experientia. Jidem enim liberales & clementes, itemq; minus ambitiosi: non enim qui libenter de honoribus cedat, aut alijs largiendo inserviat, videtur causam habiturus esse, cur ira succendatur. Ita porrò suaves & humani qui sunt, itemq; multi joci homines: non tantum abstinentes esse ab effervescentia, sed hujus abstinentiæ accessionem quasi quandam suavitatem illam acquisivisse, veritati persimile est. Eodem modo integritas ac candor & justitia si serium est harum virtutum studium, non patiuntur secum iræ incontinentiam: non solum quod hujus rei testis optimus est quotidiana vitæ consuetudo, sed etiam quod omnium virtutum ductrix prudentia hoc diligenter providet, ne quid à vitijs maculæ adhæreat in eo, qui industriam in virtute operam posuerit. Porrò non parum hanc virtutem ornant egregij hujus cultores, flos nempè & anima totius humani generis. Quicquid enim est hominum non alienorum à literis & rerum aliqua cognitione non tantum subtili illâ atq; accurratâ, verum

4. Circũst. Natura bona.

Sexus.

5 Circumst. mores. Fortitudo.

Temperantia.

Aliæ virtutes.

6. Alij habitus.

etiam vulgari & in communi hominum usu positâ: Iidem perstudiosi sunt mansuetudinis, ut vel ab ea ornati sint, vel si id assequi non possint, saltem ut iræ illam impotentiam nescio undè irrumpentem, quantum possint dissimulent. Quemadmodum illud etiam non exiguo ornamento est, quòd viri principes se ab hac virtute imprimis commendari volunt, & hanc se cum Deo solam communem habere putant.

8. Circũst. officia.

Quo quisquè est major, magis est placabilis iræ.
Et faciles motus mens generosa capit.
Regia crede mihi res est succurrere lapsis.
hoc est
A superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tecum commune Dijs, quod uterq; rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Considerentur ad eundem modum reliquæ personarum circumstantiæ.

VII. & VII. partes ipse adde.

LOCUS COMMUNIS XI.

In EBRIETATEM.

EXORDIVM. Captat benevolentiam à rei jucunditate: narretur fabula de rustico convitium dicente Parocho suo inter pocula: quod Rusticus diceret asinum sibi esse domi multo sapientiorem isto Monacho. Res ad Magistratum delata est. Confessus est convicium Rusticus. Ita autem defendit, non esse injuriam factam à se homini: quod asinus suus nullis verberibus adigi possit ut ultra sitim bibat. Monachus vix ullis prius jurgijs abigi, quam tantum exhausisset ut nec pes, nec mens officium faciat. Risu omnes emori. Tandem secundum rusticum pronunciatum: hîc miser parochus ab asino melius sapere doctus est, cum fortassis alias multorum graves admonitiones de fugiendo hoc vitio tanquam surdo sibi fabulam narrare passus esset. Idem de Lacædemonijs commemorant: quod anniversarijs

qui-

quibusdam ferijs servos ebrios in conspectum liberorum produxerint, ut horum ridiculâ insaniâ ab ebrietatis turpitudine abstraherentur, à qua præceptis & hortando difficiliori negotio abstineri posse viderentur.

Item narra de Solone insaniam simulante, ut legem quandam Reipub. damnosam abrogaret. Et de Medico phreneticum curaturo: qui cum hic gallus sibi videretur ille item gallum se esse, h. e. cum insaniente insanire se simulavit, ut ad sanam mentem reduceret. Sed quorsum hæc? cum insano & phrenetico hominum genere negotium mihi est: quia temulentis, & ebrietatis vitio deditis medicinam facere allaboro. Itaq; istorum quos dixi prudentia utendum esse, commodum visum est, ut arridendo potius & fatuitatem quandam & insaniam simulando, quam veritatis acrimonia ac sententiarum subtiliter excogitatarum gravitate ac pondere experirer. Cognoscetis itaq; lepida: Facite auribus animisq; adsitis.

II. Pars Contrarium.

Belluinum sane vitium est ebrietas: imò ita fœdum, ut plæræq; bestiæ omnes abhorreant, præter immundas sues, & hominum illud ignavum pecus, in quos nescio quo fortunæ lusu, pro humanâ porci anima ingressa esse videtur. 2. Temperantia & moderatus cibi potusq; usus est virtus elegans, valde hominem commendans: utilissima est, ad omnem vitam bene prudenterq; instituendam. 3. Bibacitas sordes quædam morum sunt, valde deformant, damnum afferunt maximum, omni prudentiæ ac liberali rerum cognitioni &c. Dic quædam de laudibus Temperantiæ.

III. Pars ἔκθεσις vel expositio, hæc erit hic pars potißima, itaq; accuratius dividamus.

Sed quoniam fortassis albæ avis instar, cygni puto, rarum est inter nos hoc hominis monstrum: aut potius ut quodammodo oculis usurpetis, hanc istorum morum fœditatem paucis delineabo. Hæc igitur studia, hæ artes huic sancto ordini:

1. Quid ad pocula invitet: narretur ridicula occasio: Hester-

na crapula, aut Tempeſtas frigida, ut incaleſcant; calida ut reſpirent.
Cœlum ſudum hilaritatis cauſa invitat: aër inelementior, quod ad
ſeria negotia ineptior ſit & tardiores fecerit. Congerro aliquis pro-
pter lepores: nullus, ut aliquis inquiratur. Pecuniæ copia, quia ſine
magno diſpendio hinc aliquid genio dare licet & moris eſt: Inopia,
ut hujus memoria Lenæo, quaſi Lethæo aliquo papavere oblina-
tur, &c.

2. Quid inter pocula agitent ſermonum. Bibe, bibi, bibemus,
bibiſti parum, bibo tibi, non bibiſti quantum ego, bibi quantum ſatis
eſt, & biberamus & bibebamus, & cum bibiſſent, & cum bibetis, & ſi
bibero, & cum biberemus, & ad bibendum, & ut uno dicam verbo,
hic vivere eſt bibere, & bibere vivere. Atq; hæc initia ut videntur
ſobria. Ab his ad ſpurciſſimos jocos deſcenditur, ad contumelias a-
bitur; tandem in blaſphemias erumpunt: multis fere convitijs inter ſe
invehuntur, ad cædem provocant. Geſtus porcini, in menſam pro-
cumbere, popinam ſibi mutuo inhalare, ſemi ſomnes aſſidere, obdor-
miſcere, obmuteſcere, collabi, vomitu turpiſſimo gremium, menſam
& conclavia implere.

3. Negotia, Nihil rei ſeriæ agere, negligere rem familiarem,
raro domi vivere, in cauponis, luſtris, ganeis ætatem agere, alea lude-
re. Vitra coëmere, frangere, nonnunquam delitiarum cauſa dentibus
commandere, una cum potu deglutire, fornaces deijcere, feneſtras &
fores effringere, noctu graſſari, &c.

IIII. Pars. Comparatio.

Comparentur cum hirudinibus. 1. Cœcæ ſunt, ita hi carent
prudentiæ oculo. 2. Tantum venter eſt hirudo, nulla alia apparet
pars. 3. Vivit in aquis & humido. 4. Victitat alieno ſanguine, ita
noſtri aliorum partis fruuntur. Parentum ſcilicet aut conjugum bo-
na dilapidant, & perigrinorum inſidias ſtruunt. 5. Non miſſura cu-
tem niſi plena cruoris hirudo; ita ſe immergunt ſpiculis intra cutem:
tantopere ſitiunt ſanguinem, ut quamvis omnia tentes, excutias, velli-
ces, prius reliquum ventrem à capite, quam beſtiolam a ſanguinis hau-
ſtu abripere poſſis. 6. Plenæ ſanguine ipſæ concidunt, ita tamen tur-
gidæ, ut nusquam ſe poſſint commovere, aut aufugere. Atteruntur
pedi-

pedibus. Jta noſtri inflati heſterno venas vel ſemper Iaccho, ridiculi ſunt, dum poti lapſant, ac titubant, aut in cœno volutantur. Præterea ſummis periculis expoſiti, non furum tantum, & adverſariorum inſidijs, ſed ipſius etiam Diaboli libidini, qui multis præcipitatis collum fregit.

V. Pars Gnome vel defenſiones. Ajunt:

1. Se tantopere ſitire, ut ſibi imperare non poſſint. Reſponſio. neg: anteced: Fruſtra hoc cauſantur, coërceant aqua intemperantiam ſi aliter non poſſunt.

2. Jnter pocula poſſe explorari ſocios: quod nuda hic & aperta ſunt pectora. Reſponſio. Non eſt magna utilitas: cum fortaſſis & tuum prodere poſſis malum ingenium, dum alterius exploras, præſertim illos belluinos vini trullas hauriendi mores. 2. Parum honeſta eſt iſta exploratio. Quippe per fraudem & dolos in alterius literas inquirere, ſcelus eſt: quanto pejus in ipſum animum, per poculorum furta introrumpere.

3. Sic iniri amicitias inter ſodales, confirmari fraternitates. Reſponſio. per contemtum.

O præclaras amicitias cereviſia emptas: tùm inter inſanientes contractas atq; initas. Unde ſanè nunquam hæ felices, aut ad alteram lucem extant fere: Niſi accedat virtutis quoddam vinculum, quod rectius inter ſobrios contrahi poterit.

VI. Pars παρέκβασις.

Ex circumſtantijs deſcribat, qui, quales huic vitio ſint dediti.

VII. Pars præciſio miſericordiæ.

Oſtendat, non poſſe ſatis graves pœnas jrrogari.

VIII. Pars.

Idem ex juſto, utili, neceſſario.

LOCUS COMMUNIS XII.

DE URBANITATE.

EXORDIVM ad imitationem Orat: pro Archia.

A ſignificatione gratitudinis.

Debeo hoc officij huic virtuti ut collaudem. Quia illa literarum ſtudia laborioſiſſima ſæpe mollit & relevat.

A ſignificatione modeſtiæ per duplicem objectionem.

1. Obi. Quid commune literis cum jocis? Reſponſio. Non poſſumus ipſis ſemper deditι eſſe ne labore nimio frangamur. 2. Eſt quædam ſocietas: quod joci quam maxime liberales ex literis proficiſcuntur.

2. Obi. Cur autem tu potius has partes ſuſcepiſti, quam alius quilibet? Reſponſio: Per deprecationem: Date veniam, quod cum de reliquis virtutibus alij dixerunt, ego hanc mihi delegerim, &c. III. A docilitate, per promiſſionem, dicatur Propoſitio: Si mihi benevolentiam tribueritis, efficiam profecto ut intelligatis, nihil hac virtute eſſe ſuavius, nihil quod magis hominem commendet.

Narratio.

Quid agant urbani, unde tales agnoſcuntur; & quod maxime gratum eſt: ſcilicet ea dicunt ac faciunt, quibus alios, & ſeipſos ſuaviter afficiunt, & ad hilaritatem quandam traducunt, etiam in periculis hilarum aliquid non nunquam aſpergunt, qno metus mitigetur, ut cum hoſtibus minaretur

Pandarus.

Olli ſubridens ſedato pectore Turnus:

Incipe ſi qua animo virtus, & conſere dextram Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem. Præſertim poſt periculum, vel ſi quid lætius ſucceſſerit verbi leporem addunt. Ut Julus cum Numanum ſtraviſſet addit: I verbis virtutem illude ſuperbis. Bis capti Phryges hæc Rutulis reſponſa remittunt. Et tantum placuit jocus: Teucri clamore ſequuntur lætitiaq; fremunt. Ita in pecunijs honeſte accipiendis reddendisq, tum omni harum uſu tales omnino, ut non tantum ad aliorum voluntatem promti adſint: Sed etiam venuſtate ali-

aliqua joci condiant. In victu item magis ſermonis quam cibi potusq́, delitias amant. In honoribus faciles ſunt, cedendo alijs. Quanquam ſi quis intrudat ſe indignior, non habet ab his impune.

Cujusmodi extant multi Ciceronis joci in eos, qui immodeſtius ſe in Repub. geſſerant.

Candidi & aperti frontis homines ſunt, ſed tamen quædam multo aliter ſimulant atq; in pectore gerunt leporis cauſa. Norunt pulchre ſimulando exprimere omnium affectuum geſtus.

Atq; ejus rei dant in narrando ſpecimen, præſertim ubi hilaritatis cauſa conventum eſt. Ibi ſi narrant quempiam metuiſſe, metuentis pallorem quodammodo & trepidationem corporis & capitis rotationem, & totum illum meticuloſum & circumſpectabundum exprimunt, Ita ſi quid læti alicui accidiſſe commemorant, non ſatis habent dixiſſe, quod ille lætatus ſit, ſed pingunt quaſi læticiam verbis, & artificioſa ac lepida ſimulatione ſcilicet & riſu, & cachynnis oppleviſſe omnia ajunt, tum humeros alternatim attraxiſſe & manus comploſiſſe, & hæc ruſtica dicunt ſaltem. Illa vero etiam exprimunt; ore remidenti reſpondiſſe: leviter à ſeveritate remiſiſſe vultum, tum manus extuliſſe, barbam mulſiſſe. Valde hæc afficiunt auſcultatores, ut & libenter audiant, & delectentur ingenio verſatili. In jocoſo convictu lepidisſimi ſunt, & facilime inveniunt, quod riſum modeſtum alijs honeſtis hominibus excitet. Interim ſervant circumſtantiarum decorum, ut non apud peregrinos aut Majores ordine vel natu nimis familiares ſe gerant, aut dum ſeria interturbantur, aut religioſo loco, aut ne ultra modum indulgeant: Sed ut poſthabeant ludos ſuos ſerijs; cavent ne copia ſatietatem pariat. Nec pretio inducti, aut ut gratiam alicujus venentur, jocis operam dant. Quanquam delectare alios minus moleſtum eſt; ſed tantum virtutis ipſius vel elegantiarum ipſarum amore. LOCOS etiam aliquos dicam, UNDE INVENIAM JOCOS. Vel ſe vel alios aliquo leviculo modo turpes apparere præter expectationem faciunt. Hinc enim riſus oboritur, ut quando Niſus faciem oſtentabat, & udo turpia membra fimo riſit pater optimus olli.

Sic Cicero ubi confeſſus fuerat in ſenatu, quantam ſpem ſibi feciſſet de quibusdam hominibus, quomodo in errore fuiſſet verſatus,

vel quomodo spe exciderit, cum id sine commotione narrasset, Visa est oratio jucunda & non mediocris risus est consecutus, lib. 5. Ep. 2. Illud autem assequuntur simulando saltem, aut etiam veram narrando suam simplicitatem & ruditatem, & si inde damnum non nimis grande ortum sit, aut oriatur. Dicunt E. G. quomodo ipsi aut alij avibus insidias fecerint. Sed imperiti artis fuerint, in foveam ceciderint, aut à vulture turbati sint, aut alio infortunio, præda sua privati, & propterea damno aliquo aucti fuerint. Deinde & hinc datur risus occasio, si sci: alium simpliciorem aut omnes præsentes contradictione vel elencho quodam apparente implices, quod fit captione verborum. Ut si quis forte dixerit: Se hominem vidisse & jam hinc annos triginta natum, vix cubito altum. Dic non esse hoc mirum, te etiam vidisse hominem majorem natu, nisi opinio fallat, vix dimidio cubito altum: explica autem cum puer esset. Jtem si quis narret meminisse se bovem videre qui &c. Absit inquit, an tu aliquando bos fuisti? Ita si quis forte commemoret, quod Papa pater dictus sit: subijcies, & tamen dicunt Papam aliquando peperisse, & sic reliquis sophisticis locis præsertim ex falsa causa, uberrima petitur ludendi materies.

III. *Contrarium.*

Rusticitas qua nec excogitare valeas ipse, nec aliorum sufferre jocos possis: ipsis etiam qui eâ laborant tanquam scabies quædam molesta est ne dicam alijs. 2. Itaq; non debet ea tanquam taciturnitatis nomine & modestiæ ut fit commendari. 3. Suavis & elegans est urbanitas. 4. Nec reprehendi poterit.

IV. *Comparatio.*

Comparetur cum medico, hic corpus à morbis, ille animum à curis levat. 2. Hic incerto eventu. Ille certo. 3. Hic pretio, ille virtutis amore. 4. Hic insuavi & injucunda sua & ægroti occupatione; ille iucundissima omnium oblectatione. 5. Hic ex artis præceptis alienis, Ille ex propria ingenij bonitate. 6. Hic à Pharmacopola præparatis medicamentis; ille propria industria excogitatis leporibus. &c.

V. Pars γνώμη.

VI. Pars παρέκβασιν.
VII. Pars Misericordiam.
VIII. Pars Probationes ex universalibus locis. ipse adde.

LOCUS COMMUNIS XIII.

ADVERSUS SCURRAS.

Exordium à laude auditorum, & nostra modestia.
Figura Elocutionis est occupatio.

QUanquam semper honestissimum judicavi hunc dicendi locum, vesterq; Auditores ad audiendum confluxus multò jucundissimus, mihi est visus: tamen hactenus mea in his artibus infantia, & parum versata exercitatio me ab hoc laudis accessu absterruerunt. Itaq; nec caruit hæc cathedra ijs, qui ex vestro numero eruditis meditationibus suis virtutes exornarent, dum in vitia inveherentur: Et ego in vestris subsellijs assidens, communem vobiscum ex ijs, qui huc ascenderunt delectationis eruditionisq; fructum percepi. Nunc autem & his vestris beneficijs excitatus, & exemplis alacrior redditus, etiam ipse prodire ausus sum: vel ut operam meam experirer, & ingenij facultatem, vel difficultatem potius explorarem, vel quod parum decere me arbitrarer, si in exercitantium tyronum cætu solus ignavus latitarem. Accedit etiam quasi altera quædam ratio, quæ me trepidantem facilè confirmare poterit, argumenti scilicet, orationisq; commoditas. Dicendum enim mihi sumpsi adversus impurum illud hominum genus Scurras scilicet, qui jocis obscænis & impudentissimis passim risus captant. Atqui hujus orationis facilius erit initium, quam exitum invenire. &c. *Secunda p. Exordij Docilitas.*

I. Non reprehendo jocos honestos & liberales, ubi modus adsit, temporum, locorum, personarumq; conditio attendatur. *II. Pars Contrariũ Propositio.*

2. Imò maximè commendandos censeo.

3. Spurcitiem autem istam, & quasi scabiem, ac pruritum con-

ijciendi ſcommota, & dicteria in quosvis: fœdiſſimis ſermonibus riſum venandi, quam maximè vitioſam judico.

4. Nec excuſari poſſe, multò minus laudandam eſſe. &c.

III. Pars Narratio.

Narretur quid faciant ſcurræ, nempè quæ alijs hominibus non planè ruſticis, aut moroſis moleſta ſunt, ea dicunt & faciunt riſus movendi cauſa; ſimulando, obtrectando, & alijs modis irridendo, graves ſunt.

1. In Metu, dolore, vel alieno, vel ſuo etiam, ut ſi nuncius alicui afferatur de navi amiſſa, aut uxor alicui extincta ſit, aut aliàs graviter doleat, ſcurra ridendum illum proponet, & inſimulabit non ſerij doloris: afferatur, inquiet, lapis, vel pumex, ut extergamus oculos miſero homini.

In Victu: Scurra vorat candelam, & alia, unde ſenſus abhorrent: præripit alijs è patina delicias, exorbet pocula & addit jocum.

Sic In Pecuniis, eas quocunq; nomine accipit, plagas patitur, convitia ſuſtinet, turpiſſima obit miniſteria: Jtem per vim eripit, ac arridet, etiamſi ſtomacheris.

In Existimatione aliena nihil attendit, niſi ut ridiculus poſſit eſſe: de abſentibus narrat, quæcunq; novit, aut errata, aut infortunia: & admentitur multa, ut riſus oboriatur: præſentes cavillatur, & turpitudinis alicujus atq; errati convincere ſatagit, idq; ſubridendo. Detorquet verba in peregrinum ſenſum, fingit crimina, an, inquit, potes negare, quid mihi nuper ipſe confeſſus ſis, aut quid ille, noſtin', quid dicam, me præſente obiecerit, cum tamen me obſecrares: Meminiſtine, an vis ut dicam? Dicam verò, ſi obſtinatè negaveris. At vide nunc innuis mihi ut taceam: fruſtrà hoc agis. &c. Atq; ille miſer quanquam nullius horum ſibi conſcius præ verecundia, tamen quod nec iſtum mendacij accuſare audet, nec factum aſſentiri commodum eſt, hæret, & ridetur.

In Elegantiis ſunt perſordidi, fœda viſu objiciunt, matronis & Virginibus, ut hæ oculos obtegant, & ejus generis etiam narrat. Veſtitum aliquando ſumunt morionum, aut ruſticorum, aut aliàs ridiculum, oblinunt faciem, & veſtes cœno, inter cibum pendet mucus è naribus, ſordes candelarum, & aliarum rerum allinunt ad veſtes, aut in vaſa eſculenta conijciunt.

Nar-

Narrant de vomitu & alijs fœdis.

IN SIMULATIONE & DISSIMULATIONE: omnia convertunt in Ironias, nihil possunt serij, vel agere, vel loqui.

IN PIETATIS NEGOCIIS profanissimi sunt, valdè delectantur detorquendis Sacræ scripturæ dictis ad aliquem sensum jocularium.

I. Hic ignavus nihil operis facit, otiosus semper stertit: Ita & scurræ. *IV. Pars Comparatio cum Fure.*

II. Uterq; alieno labore vult vivere.

III. Fur nummos, & unius quidem hominis: Scurra & læsi existimationem, & auscultantis pudorem surripit.

IV. Fur paupertate sæpè adigitur, & sic à necessitate excusatur: Scurra malitia peccat.

V. Fures pleriq; rudes, simplices: scurræ ingeniosi.

VI. Fur noctu facinus molitur, eò pudentior, scurra media luce, & in os, eò audacior & nocentior.

VII. Fur alienus, scurra domesticus, & familiaris.

VIII. Fur coërcetur pœnis publicis, scurra grassatur impunè: Jmò accenditur improbarum aurium studijs: eô ille magis invitus videtur peccare hic minus.

I. Ajunt nihil in vita magis necessarium esse, quàm jocos, tanquam vacationem quandam ab infinitis molestijs. *V. Pars Gnome. 1. Opinio.*

Respondeo. Honestos potius sectandos jocos, quam illiberales: & jocis utendum esse, tanquam medicinâ, & quiete quadam: ut non perpetuos eos expetas, sed post occupationem: ut reficiaris, atq; integrior ad laborem redeas, in eum finem adhibeas. Cum non otij, ac ludorum, sed negocij, & seriorum agendorum causâ homines nati simus.

II. Multis & Magnis viris se charos esse dicunt. Respondeo: At tanquam moriones vel simias, & alias feras bestias, ex quarum agitatione aliquid delectationis percipitur, ut ipsi quidem odio sint, ars autem ridicula delectet: Sed magno cum fastidij periculo, quod facillimè hic obrepit. *2. Opinio.*

Monstret quibus parentibus, naturâ, educatione, & reliquis circumstantijs personarum hoc genus hominum existat. *VI. Pars Egressio.*

VII. Pars. Misericordiæ præcisio vel odij adversus scurras commotio.

Hic ex reliqua superiore oratione repetantur, & colligantur in cumulum. quæ sunt maximè odiosa.

I. Quæ sunt turpia, vel inhonesta,

II. Potissimum, quæ lædunt nos, vel præsentes auditores.

III. Qui illis indignè honores habentur. e. g. Satis dixisse videor, de scurrilitatis flagitio turpissimo, verum hi nunc homines isti vicio affines sunt, qui passim lepidi, urbani, multorum jocorum, belluli & delicatuli audiunt, ad convivia advocantur, in omnium oculis geruntur, etiam in Principum. ô corruptum nostrum vivendi morem! An non æquius fuerat istos impuros nebulones, istas belluas, istos porcos, imò qui etiam porcos spurcitie & lasciviâ longè superant, istos, inquam, quo velis cunq; nomine appellare, annon æquissimum fuerat honestorum hominum, colloquijs extrudi, convictu longissimè arceri, auribus castis, ac pijs severissimè prohiberi? quippe à quorum impudentia neminem satis defendere potest, quamvis integerrima vitæ sanctimonia, quorum illudendi libidinem nullius verecundia à se prohibere, quorum linguæ violentiam nullius dignitas subterfugere, quorum pestilentissimam corruptelam nulla tanta animi, auriumq; castitas satis cautè evitare potest.

Oro atq; obtestor vos, per eam, quæ unicuiq; charissima esse debet, famam atq; existimationem vestram, odio pessimo persequimini hoc hominum genus. Ita cogitate, quoties incideritis, in periculum certissimum honestæ de vobis inter homines opinionis incidisse. Cujus enim innocentia ab istorum calumnia satis tuta sibi videri poterit, à quibus nec sanguinis communitas ac religio; nec dignitatis gravitas, nec sacrorum majestas seipsam satis defendere potest? &c.

VIII. Pars. Probet ex Locis universalibus, Legitimo, justo & reliquis, scurrilitatem coërcendam esse pænis & severa animadversione.

LOCUS COMMUNIS XIV.

In ADULATORES.

Exor-

EXORDIVM captat benevolentiam â rei necessitate.

Si boni civis est, Auditores, in publico incendio, etiamsi à tuis illud ædibus quam longissimè absit, tamen communis juris propinquitate adductum ad restinguendum ignem concurrere; eò æquius illum facere censeo, qui ad publicam cum omnis ætatis, tum adolescentiæ inprimis corruptelam istam, adulatoriam dico artem comprimendam, operam studiumq; aliquod suum contulerit, quo scilicet propius à nobis singulis hoc periculum abest, quoq; gravius, si quid acciderit, damnum sentiatur. &c.

I. Suaves esse nos volunt sapientum præcepta, ne cui te opponas temerè. *II. Pars Contrariũ.*

II. Et ea hilaritas in convictu & blanditie nullo modo repræhensioni succumbit.

III. Neq; tamen propterea decebit semper arridere super re vili, fingere vultum ac sermonem exultabundum, saltem ut placeas, non quod verè gaudeas.

IV. Graviter repræhendendus est hic fucus.

Dicatur hic, quid faciant adulatores, scilicet omnia faciunt majora in eo, quem adulantur ut in periculis, pecunijs & possessionibus ejus, cibum & potum ejus nimis prædicant, virtutes nimis, extollunt. Jtem reliquas possesiones, liberos, familiam vel nobilitatem, eruditionem, formam, famam. In omnibus se submittunt, dicunt, se servos, incedunt humili vultu, gestu &c: ad vilissima offerunt se ministeria, quicquid ille ait, etiam hi ajunt, negat, negant etiam. *III. Pars Narratio.*

Hic quæstus nunc est multò uberrimus. *IV. Gnome.*

Comparentur cum corvo. Primum ater hic est, & illi. *V. Cõparat.*

II. Est invisa avis, & mali ominis, & à qua abhorremus, & tamen nescio, quomodo delectamur eá familiari & domestica: idem etiam accidit in adulatoribus.

III. Vox turpis, & tamen ea est perversitas aurium nostrarum, ut etiam pueri gestiant imitari.

IV. Pascuntur cadaveribus alienis: Jta adulatores alienâ victitant quadrâ.

V. Ex cadaveribus fœtidis; quemadmodum adulatores ex fœda præsentium adblanditione, absentium obtrectatione victũ quęrunt.

VI. Corvi mortuos, adulatores vivos homines absumunt.

VI. Pars Egressio.

Mali corvi, malum ovum in proverbio dicitur: Itaq; fit, ut his moribus homines plerumq; à similibus parentibus; convenienti ad bonos mores educatione neglecta; tum reliqua vita maximè congrua oriantur.

VII. Pars Misericordiæ præcipio.

Quoniam cum corvis comparabamus adulatores, etiam hoc convenit, quod nescio quomodo non in mentem venit; quod etiamsi dira avis sit corvus, tamen quadam religione ac superstitione abstinent ab ea aucupes & venatores: Ita adulatores impunè abeunt, & feruntur in Rebuspublicis, non quod non inhonesti judicentur, sed quod mirabili quadam, & penè superstitiosâ misericordiâ, magistratus pœnas sumere abhorreat. Cum tamen sint quam nocentissimi. Bonos mores corrumpunt, superbiam, luxuriem, profusionem, libidinem, & alia vitia, tanquam pestem quandam ex insidijs afflant: neq; hoc hostibus nostris, sed domesticis, amicis, fratribus, liberis, ipsisq; adeò nobis.

Quare si strumas ac tubera à corpore, ferro, igniq; resecamus: si viperas, lupos, ursos ex agris & hortis nostris lapidibus telisq; prosequimur: si latrones, & deprædatores omni vi, facultate, operâ, studioq; conjunctis, à Republ: prohibemus: quid animi debet nobis esse, quantoq; alacriores erimus in his furijs, non in corpus tantum nostrum, non in agros ac hortos, non opes, sed ipsam animam vitamq; nostram grassantibus opprimendis?

Ex locis universalibus idem probet, scilicet coërcendos esse pœnis adulatores.

I. A perspicuo: Nemini hoc unquam dubium fuit, sapientes æquè ac vulgus semper ita judicarunt, inter honestos homines non debere esse adulatoribus locum.

II. A Verisimili. Extant in eam sententiam pulcherrima præclarorum autorum dicta, quale est Biantis, qui cum interrogaretur, Ecqua bestia omnium maximè noxia foret? inter feras, inquit, tyrannus, inter cicures, adulator.

III A necessario. Nec videtur illa satis salva posse Respub: esse, ubi hæc adulandi licentia impunitate in mores vulgares abierit.

IV. A possibili. Nec difficile foret, pœnam aliquam adversus

istos

istos invenire: cum sordidissimi quiq; è plebecula homines huic arti dediti, sine tumultu aliquo plecti possint. &c.

LOCUS COMMUNIS XV.

In HOMICIDAS.

EXORDIVM dicit causam modestiæ gratia. Figura Elocutionis est occupatio.

Videri possum temerè facere, Auditores, qui adversus homicidia declamare institui. Etenim & satis prudenter ac severè aliàs à Magistratu adversus ista consultum est, & hæc flagitia atrocitate graviora sunt, tum homines naturæ quadam crudelitate procliviores ad ea videntur: Quam ut vel à viris eloquentissimis quicquam remedij sperari, ne dum à me adolescente imperitissimo præstari posit. Verum enimvero semper hoc in scholis licuit, ut de quibus in Repub: seria contentione laboratur, ad eadem ludicra quadam exercitatione præparetur in cathedris Scholasticis nostra ætas: quemadmodum de tyronibus Romanæ militiæ memorant quod ad palum prius pugnare didicerint, quam adversus hostem in acie educerentur. Quare ceu bonus arridet cum gnatum in arundine longa,

Fingere equi gressus conspicit altus eques: Ita, quod gravissimas illas homicidij accusationes, quas viri prudentissimi etiam difficillimas experiuntur, Ego adolescens exercitatoriâ aliquâ operâ adumbrare ingressus sum, spero ab ipsis pro æquitate facilè me veniam consecuturum esse: à vobis autem etiam benevola attentione approbari, peto atq; contendo.

Describantur homicidæ à characteribus, vel actis eis singularibus, quæ eos maximè deformant. I. ANTE COMMISSUM FACINUS, eadem sunt signa cum iracundis. Tantum loquuntur arma & cœdes, & imprecationes, quoslibet provocant etiam levissimâ, imò nulla occasione: ut puta formosulum aliquem vident, ideò gestiunt cicatrice faciem ejus deturpare: Quod invident pulchrum pileum, aut vestem aliam, aut aliud quid: quod robustum ac valido corpore *II. Narratio.*

cernunt, ideò libet conſerere dextram.

I. In Pugna. Cum poſſit res componi bona pace, aut levius tranſigi cum victi eſſent, cum arbitri interpoſuiſſent ſe, cum alter nihil metueret, ſæpè illi facinus committunt.

II. Post Pugnam, & facinus perpetratum fugiunt, ac latitant, conſcij ſibi ſceleris, velut. Ille, priuſquam tela inimica ſequantur.

II. Æn: Continuò in montes ſeſe avius abdidit altos,
Occiſo paſtore lupus, magnove juvenco:
Conſcius audacis facti, caudamq; remulcens
Subjecit pavitantem utero ſylvasq; petivit.

Totâ facie pallor, aut macies inſidet; audiuntur crebra ſuſpiria: omnium hominum adeoq; ipſius lucis pudet, ac piget. Congerantur huc, quæ ſolent ab iſtis audiri & fieri. Ut quod quidam olim cum objiceretur hoc crimen, præ ſtupore cantharum cereviſiæ plenum evertit, nec ſenſit tamen, ſed infimum cantharum, vel fundum ſolidum quaſi bibiturus ori admovit.

III. Contrarium. Propoſit. I. Non ſatis dici poteſt, quanta ſit felicitas hominis, qui nec ipſe ſibi conſcius eſt hujus alicujus ſceleris, nec alij autor fuit, aut facti conſulendo, aut impunitatis non exigendo pœnas, cum eſſet officij.

II. Nec eſt dandum vitio, aut timiditatis accuſandum nomine ſi abhorreas ab iſtiusmodi immani hominis trucidatione, & occaſione hujus, digladiatione ſcilicet temeraria: aut ſi Magiſtratus ab iſtis ſeveras pœnas exigat.

III. Miſera eſt iſtorum hominum, & regionum conditio, ubi hæc ſcelera ſunt impunita: nec eſt libertas quædam judicanda hæc

IV. impunitas. Jnterim tamen, neq; hoc omninò negandum eſt, non eos omnes, in homicidarum reliquorum numerum aggregandos eſſe, qui quocunq; modo homini vitam ademerunt. Nam qui ſe adverſus vim capiti, aut vitæ intentatam aliter defendere non potuit, quam morte ejus, qui eam vim intulerat, communi omnium gentium, & ſic divinitus inſito naturæ jure ab homicidij crimine eximitur.

Jtem qui caſu infelici, cum nec animus lædendi eſſet eum, quem necat: nec providere ullo modo poſſit, alterius vitæ nocuit etiam ipſius Dei in Sacris literis ſententiâ à communibus homicidij pœnis

ab-

absolvitur.

IV. Comparatio.

Comparetur homicida cum alijs sceleratis, & monstretur longè nequior esse, vel saltem par. Præmittatur emollitio. e. g. Quanquam nihil magis impedire scio, quo minus orationi fides adhibeatur, quam si illud persuadere conatur, à quo communis omnium hominum abhorret sententiâ: tamen audeo hoc promittere vobis, si vestra in judicando attentio & candor accesserit, effecturum me, ut mihi ultrò assentiamini, quanquam id vulgò non credatur, tamen satis evidentibus causis confirmari posse: nullum tantum scelus esse, non furtum, non latrocinium, non publicum incendium, non veneficium, non sacrilegium, non aliud deniq; cujuscunq; nominis aut feritatis, cujus atrocitatem homicidij facinus non assequatur, aut vincat etiam.

De furto non longa demonstratione opus erit. Etenim hôc opes saltem, aut recula alicujus, aut pecuniæ summula per dolos subducuntur: cum homicidæ manibus audacissimâ injuriâ ipse sanguis, vita atq; anima hominis exhauriatur. Ut mirari liceat causam, quare ille in Respublicas usus irrepserit, ut longè graviori supplicio furum puniantur errata, quam homicidarum teterrima maleficia. Et quanquam hujus loci ac temporis non est de ea causa sollicitè inquirere, tamen ut quod in mentem venit, dicam, non tam accurati judicij ratio hoc discrimen statuisse, quã violentia quædam temeritatis popularis, legislatores eò adegisse videtur. Cum enim ita plebecula judicet, si quid à quoquam facinoris commissum sit, non tantum ab Autore debitas pœnas expetendas esse, sed universis ijs, quibus sanguinis aliqua cum isto conjunctio est, etiam sceleris & infamiæ affricari debere societatem: cum furtorum audacia in obscurioris sortis homines plerunq; accidat: Homicidiorum autem crimen sæpiusculè in illis adhærescat, qui si infami aliqua pœna notentur, familiam suam amplissimam, & optimè meritam, vulgi ut dicebamus levitate in indignam secum fortunam traherent. Jdeò, inquam, factum puto, ut in priori genere nihil de acerbitate supplicij remissum sit: In posteriori facta aliqua mitigatio fuerit, non quod hoc minus turpe autoribus sit, sed ne pluribus innocentibus damno esset.

V. VI. VII. VIII. partes ex te ipso fingantur.

LOCUS COMMUNIS XVI.

DE RUSTICIS τὰ κάκιστα sive in pejorem partem.

EXORDIVM ab Ovidij fabula de Rusticis, qui ex ranis mutati sint à Latona, cum aquam huic denegassent. Sc: hoc voluerunt Poëtæ dicere, ex homine in bestiam degenerasse, & hanc quidem omnium abiectissimam, qui inter rusticos educatus sit. Eæ sunt sordes: ea imperitia: is neglectus, imò ea fœditas ac barbaries morum: is deniq; ab omni cultura, & humanitate pœnè universa animus quam alienissimus. Atq; ne hoc exaggerandi in istos odij causa à me dictum putetis, quæso vos diligentem atq; attentam aurium vestrarum operam isto exiguo temporis spatio date: efficiam profectò, ut turpiter quidem me deformasse istos in orationis principio: plus tamen barbariè in ijsdem demonstrasse appareat quam hic incusaverim.

II. Narratio.

Quid agant quod in oculos incurrat ridiculum & turpe, quales in periculis. 2. Quales in voluptate, potu & cibis capiendis. 3. In pecuniarum usu. 4. In honoribus: hos omnes ignorant, veros quidem. Sed ebrij aut ditiores insolescunt. Hic ridiculè superbiunt, pileo dimidium tegunt caput, ansati incedunt, manu utraq; in ilia conjecta: erga superiores contumaces, supplices quidem çoram; sed absentes male precantur. 5. In ira: hac sævissima & crudelissima utuntur, præsertim erga diversi ordinis, & si ebrij sunt. Hic sanè videberis tibi videre istum de quo apud Virg: 3. Georgic:

Ipse ruit, dentesq; sabellicus exacuit sus
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas
Atq; hinc atq; illinc humeros ad vulnera durat.
Aut taurum ibidem.
Et tentat sese, atq; irasci in cornua discit,
Arboris obnixus trunco: ventosq; lacessit

Ictibus,

Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arenâ:
Post ubi collectum robur viresq; receptæ
Signa movet præcepsq; obliquum fertur in hostem.

6. In conversatione, gestibus, sermone, alloquijs, in vestitu, & alijs elegantijs. 7. In tacendis & loquendis. 8. In jocis reddendis ac sustinendis. 9. In contractibus. 10. In pietate illusores, atq; irrisores salutarium monitorum, blasphemi.

III. Contrarium.

Vita civilis est cultior: ubi inter homines degas & negotijs civilibus gerendis occupatus sis, vere humana est, h. e. elegans, suavis, honestissima. 2. Vita rustica belluina & sordida. 3. Illa non debet esse ingrata, molesta, turpis videri. 4. Hæc non suavis & elegans.

IIII. Comparatio.

Comparentur cum formicis. 1. Contemptum ac vile animalculum. 2. Magno labore semper districtum. 3. Sed tantum ventri suo natum. 4. Ducibus & inspectoribus eget. 5. Intra terram in sordibus degit: Et in terra repit. 6. Lotio suo fœdat dormientes, intra vestem arrepens mordet. 7. Pabulum gratum est philomelæ aviculæ nobilissimæ. 8. Numero tantum possunt aliquid efficere, non singulæ. 9. Obviæ & conspectæ pedibus conteruntur, præsertim si longius vagentur. &c. Applica ipse.

V. Pars Gnome vel Opiniones.

Quibus utuntur in sui ordinis commendationem & aliorum contematum atq; invidiam. 1. dicunt Se esse qui alunt universam Rempub: quippe qui suis manibus serant, metant, perpurgent frumentum: unde omnium vita sustinetur. Resp. At non nasci faciunt. Et hoc Deus: Quanquam hominum & istorum quidem ministrante opera. Pulchra sane laus: si non inviti potius quam voluntate facerent, si non egestate propria, imperio alieno adigendi essent, sed bene merendi de humana societate consilio accederent. Nunc tantundem laudis, quantum aratro, quantum falcibus, quantum equis ad aratrum junctis quantum agro locum segeti & succum præbenti, quan-

tum pluvijs irrigantibus, quantum deniq; Soli vitam ac mirabiles facultates inſpiranti debetur, vel minus etiam: cum illa quidem non agant ſponte aut præmeditata voluntate, cum id per naturam non poſſint: hi autem cum agnoſcant officium, tamen detrectent, ut vi exprimendum ſit. 2. Præclarior eſt reliquorum ordinum in Repub: opera: quanto nobilior ſc: eſt animi cura, quæ his demandata eſt. quam corporis alimenta, quæ ab illis providentur: quanto magis neceſſaria totius hominis conſervatio, quæ hos ſollicitos habet, quam de re cibarià proſpectio ac procuratio cujus hi aliquàm partem ſibi attributam noverunt.

2. Dicent: Tyrannice ſibi imperari à Dominis ſuis, omnibus facultatibus denudari, quotidianis ſervitijs, laboribus, ſupplicijs inauditis enecari, & omnino immaniſſimè tractari. Reſp. 1. Per conceſſionem: Utinam vere hoc conqueri non poſſent. Sed irrepſit jamdudum ea in Chriſtianos crudelitas, ut pejus & immanius ipſis beſtijs habeantur miſeri ruſtici. Quod ut non approbo, immò execrandum judico: ita & illud recte fieri arbitror, ut ſeveriori imperio contineantur: cum leniori imperantis uſi indulgentiâ, abutantur ad malitiam.

VI. Παρέκβασις.

Dicatur hic de parentibus, natura, educatione &c.

VII. *Miſericordiæ præciſio.*

Narretur hiſtoria de belló ruſticorum. Dicatur commiſerandum eſſe tam multi ſanguinis humani profuſionem, ſed tamen dignum iſtos ſuis factis ſupplicium luiſſe.

VIII. *Pars.*

Ex locis generalibus probet eſſe legitimum, utile &c. inferiori haberi in loco ruſticos, tum arctiori diſciplinâ contineri.

LOCUS COMMUNIS XVII.

DE RUSTICIS τῷ βέλτιστῳ.

EXORDIVM ab ipsa re. Figura elocutionis est gnomes tractatio.

Venustissimus author Vergilius:

O fortunatos nimium sua si bona norint

Agricolas! inquit hoc voluit dicere, eam esse vitæ rusticæ suavitatem, eam hominum huic vitæ generi addictorum conditionem felicem, ut si satis eam noverint homines, omnes complexuri sint. 3. Probatio per inductionem: sive enim spectes eos qui agrum serunt ac fruges colligunt: sive qui ex pecoribus alendis vitam sustentant, sive qui in sylvis cædendis occupantur, sive qui ex pratorum, hortorum aut vinearum cultura pauperiem illam beatam suam tolerant, nihil suavius, jucundius, optatius videbitur. Nam & ipsa lucrandi ratio justissima & à litibus perquieta ac remota &c. Victus ac cibus saluberrimus, tum ipso genere, dum famem obsonant labore atq; exercitio: & omnis demum vita à turpibus moribus remota & sancta quadam integritate conspicua ac pæne reverenda est. 4. Contrarium: Verum in vita civili, Deus bone, quantum turbarum, fraudum, vitiorum: 5. Simile: ut mihi ex alto mari in portum tranquillum videatur appellere, qui ex vita urbica ad rem rusticam se transtulerit. 6. Exempla: Hinc magni semper viri hoc genus amplexi sunt vitæ: Consules Romani ab aratris ad Rempublicam accersebantur. &c.

II. Pars Narratio.

Quid faciant quod ad laudem & decus:

1. In periculis non facile cedunt loco adversus hostem, mori malunt. Unde hi optimi milites propter animi præsentiam, si artem pugnandi docti fuerint. Id quod assentiuntur qui de arte militari scripserunt.

2. In pecunijs: Liberaliter communicant de tenuitate etiam sua. Videas hoc in commessationibus, dum exhilarandus animus est & à laboribus gravissimis remittendus, adeo non avari sunt, ut ne obulum quidem servare malint quam genium defraudare. Non etiam arcas stipant inutilibus thesauris, sed acquiescunt in ijs quæ in præsens tempus sufficiunt. Deus inquiunt providebit in alium annum. Quid opus est? Imo quanta stoliditas est magnos nummorum acervos con-

ſtruere, quos ferrugo depaſcat aut fures eripiant? 3. Ad cibum & potum ut veniam: Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus, Secundum poëtam: ſcilicet oleribus & rapis ſuis & pane victitant, & aquam bibunt, idq; tanta cupiditate ut nectar bibere aut cupedijs veſci ſibi videantur. Inde etiam valetudinis, plæriq; integerrimæ usq; in ſummam ſenectutem: quod non corrumpant ſtomachum obſoniorum delitijs. 4. In honoribus & opinione de ſeipſis, nihil humilius, abjectius, reliquos quaſi Deos ſuſpicantur præ ſe: ſe imperitos fatentur, ab omni virtute incultiſſimos: Præterea infimarum fortunarum, & omnino ea conditione natos ut reliquis felicioris ingenij hominibus ſint ſervitio. Sæpius ab illis audias, nos miſeri ruſtici, nos imperiti: & ipſi ruſtici appellatione hominem ſtolidum ac miſerum notant. 5. In ſimulando ſimplices, & aperti, nihil fovent ſub pectore fraudum: dicunt quod ſentiunt. 6. Ad jocos non ſunt aſſuefacti, ſed ad ſeria. 7. Veſtitus, inceſſus, vultus oratio non fucata, atq; ad adulationem atq, ſuperbiam comparata ſed plena ſanctæ ſimplicitatis. 8. In contractibus nihil religioſius: victum non ex mercaturis, uſuris, mercium corruptione, ſed ex terra quærunt, quam juſtiſſimam appellabat Vergilius, quod nullus hic fraudi locus.

III. Contrarium.

Vita civilis in hominum ſocietate elegantior & mundior quidem ſed plenior fraudibus. 2. Vita civilis non ea quietis, ſimplicium morum, æquiſſimi ex terris acquirendi victus habet commoda. 3. Ruſtica vita remotior à ſtrepitu & vaniſſimis plurimis civitatum moribus. 4. Ruſtica vita non eſt tantopere averſanda. Quemadmodum videmus olim eâ delectatos viros Principes. Et nunc nobiles noſtrates quid aliud quam vitam ruſticam colunt? quia ruri agunt ſcilicet.

IIII. Comparatio.

Comparatio cum ovibus inſtituatur: 1. Imprudens & minus callidum animal. 2. Gregarium & amat ſuum gregem & ſequitur. Ita hi communibus vivunt ac feruntur ſententijs. 3. Facile illæ turbantur. Et hi leviter ad iram aut aliquem alium motum pro ſimplicitate adduci poſſunt. 4. Illæ omnium beſtiarum expoſitæ ſunt inſi-

dijs. Ita hi omnium expilationibus. 5. Defenduntur illæ & paſcuntur à paſtore: & his debebant hoc domini. 6. Utiliſſimæ ſunt lacte, lana, fœtu & alijs: Ita ruſticæ operæ omnes perneceſſariæ & plurimũ utilitatis in vita communi afferunt. 7. Tandem illæ etiam ſua carne paſcunt immiſericordes paſtores; & ita horum ſudore ac ſanguine victitant crudeles Domini.

V. Gnome & opiniones.

Norunt ruſtici, eoq; conſolantur ſeipſos, Patriarchas & omnium hominum primos parentes agriculturam feciſſe, adeo non eſt ſordidum hoc vitæ genus. 2. Quæ patiuntur indigne, hujus vindicem aliquando Deum ſperant fore. Opiniones contrariæ: Mereri iſtos ut indigne habeantur. Reſp. quibus modis? potant? quaſi alij ſobrij vivant. Contumaces ſunt & ſeditioſi erga Dominos? Qui hi erga ſuum magiſtratum? num ſemper obedientiam præſtant? an hoc eſt contumacem eſſe, crudelitatem immanem indigne ferre? At fraudulenti ſunt? Quî cadat in eam ſimplicitatem fraus? cujus forte propterea accuſantur quod aliquando defraudari ſe craſſis expilationum modis non patiantur. Indignum igitur eſt, quorum criminum omnes hominum ordines affines, propterea in ſolos miſerrimos ruſticos animadverti.

VI. Pars παρέκβασις.

Laudet parentes naturam, educationem &c.

VII. Pars.

Miſericordiam moveat, quod ita crudeliter habentur à nobilibus: cum habeant communem humanum ſanguinem, Communem Chriſtum redemptorem, ſalutis æternæ ſpem.

VIII. Pars.

Probet hoc fieri injuſte, illegitime, &c. & ex reliquis locis.

LOCUS COMMUNIS XVIII.

De NOBILIBUS IN PARTEM MELIOREM.

ἐξ ὑπολήψεων. Occupatio per concessionem.

EXORDIVM ab argumenti dignitate. Si quis est Auditores qui ita sentiat non magnam inde pervenire aut peti debere ingenij laudem, si in re aliqua vulgata & plurimorum tractata opera facultatem experiaris: si idem audiat de nobilitatis laudibus me dicturum, & nullius magni ingenij; nullius eloquentiæ, nullius singularis artificij eam operam putet, quippe in materia jam tot præconijs celebrata & quæ per se ita perspicuæ commendationis est, ut nullam oratoris industriam requirat: Is ad judicium sententiamque illam suam etiam meum suffragium & consensum subscribat. *Correctio.* Quanquam ita comparatum est moribus; ut quo quisq; ad suam aliquam probandam ingenij felicitatem ineptior, eo ad aliorum extenuandos conatus sit procliuior. Et cum nulla adeo levissima exercendi occasio sit, in qua non difficultatem aliquam ipsi sentiamus: tamen aliorum operis extenuandi causa frequenter facilitatem obijcimus. *Repetitio concessionis* Verum non pugnabo, fatebor quod res est: ante oculos posita, non longius conquirenda fuisse quæ in orationem congerenda erant, potiusq; copiam rerum ad delectum quam paucitatem ad orationis amplitudinem obfuisse. Quid ergo? itane ego ignavus ut non ad ea me potius conferre maluerim, unde venustior quædam atq; amplior commendatio existeret? aut tam porro imprudens, aut morosus, aut inverecundus, ut vestrâ æquanimitate ad fastidium hoc rerum quotidianarum obtrudendum abuti nil metuam? Minime: Absit, per humanas literas vos obtestor, ista à me suspitio. Verum quantò minus ingenio possem subsidio earū rerum facilitatem comparavi. Ut autem fastidio vestro & ignaviæ de me suspicioni succurreretur, rerum vulgaritatem orationis quantum potui novitate ut condirem, prospexi atq; consului; Quod ut cognoscatis jam ad ipsam rem, auribus animisq; benevolis adestote.

II. Narratio.

Quid faciant Nobiles quod in oculos incurrat, suave, amænum, venustum, elegans: omnia culta. 1. Ab ipsa pueritia apparet quædam naturæ indoles, & ingenita ad virtutem vis, pudor, ingenuitas, (& ascri-

be quæ de puerorum ingenijs occurrunt publicę nota) omnia magna, equos poscunt ligneos & arma gestiunt spectare, non delectantur pulvere immundo, quo rusticornm volutantur liberi. 2. In adolescentiori ætate, si accedat liberalior institutio, & nisi morositas præceptoris absterreat, facile parent disciplinæ & non volunt nisi à prudente inspectore regi, instar generosorum equorum, qui ignavum sessorem & imperitum licet frena adducat, calcaribus urgeat, non audiunt, facile excutiunt, perito facile obsequuntur. Quemadmodum de Leone ajunt quod nolit ferreis, patiatur autem ligneis clathris se concludi. 3. In virili ætate. Vestitus mundus atq; elegans, gestus, vultus, oculi, colloquia, omnia plena humanitatis, suavitatis, modestiæ. Vox gravis & animi fortis index, frons severa, incessus decens animum constantem. 4. Fortia facta. Hi sunt qui pro Republica vulnera, cicatrices, mortem deniq; adire non exhorrescunt, a quibus sæpè audias famam extendere factis, hoc virtutis opus &c. Sic porro ostende ex signis vel factis & sermonibus, quam sint temperantes, liberales, modesti, & alieni ab ambitione, mansueti, urbani, humani, veraces, justi. Quales erga superiores, pares, inferiores se gerant, modeste quidem, liberaliter, humaniter, graviter.

III. Pars Contrarium.

Ignobili ortu sati, ignaviores ad virtutem, inertes & viles animæ. 2. Jidem non eos gerunt Spiritus præclaros ac magnos. 3. Nobiles sunt aptissimi à natura ad virtutis honestatisq; culturam. 4. Jidem non sunt projecti ad ignaviam, & vitia, nisi forte ex institutione neglecta vitium committatur. 5. In quibus generosior apparet animus ferè à majorum simili sanguine attractus est. 6. Sic ignavia & animi abjectio quæ in posteris apparet, plærumq; eadem in parentibus & avis observata est.

IV. Pars Comparatio.

Cum igni. 1. Quemadmodum omnia corpora ex elementorum mixtione, ita Respublica ex compositione variorum ordinum. 2. Reliqua Elementa sine igni pæne mortua & inutilia sunt, & nihil quicquã efficerent, nec inter se commisceri possent. Imo in igni vita potissi-

mum consistit, & hic proximum animæ habitaculum, calor scilicet. Eadem utilitas nobilitatis in Republica. 3. Ignis blandissimum & gratissimum Elementum propter calorem quo nihil gratius: Eadem venustas, suavitas, Elegantia nobilitatis. 4. Ignem foveri & nutriri oportet à reliquis, alias neq; hic neq, ipsa reliqua in composito corpore diu salva consistere possint: ita non debet pænitêre plebem, si suo labore conquirant, unde capita illa sua, à quibus totius Reipublicæ salus dependet, sustententur. 5. Ex reliquis elementis paulatim alia atq; alia generatione ignis, progignitur; Ita ex inferioribus ordinibus ad hunc ascensus datur sed multis sudoribus, & temporis aliquo longiusculo tractu &c.

V. Pars γνῶμαι.

Opiniones nobilium quibus se defendunt. 1. Esse aliquod discrimen ordinum, honorum, officiorum, quoniam est ingeniorum morum, meritorum. Quantum igitur hic plebem excellit nobilium ordo, tanto etiam in honoribus major istius, debet haberi in Rep. ratio. Dicas, non semper illis modis excellunt. Quorum hominum hæc judicia? adversariorum & invidorum. Non igitur æquum postulat, qui hæc audiri vult. Jtem hominum qui nec quid sit virtus intelligunt, multò minus quod in tam heroicis animis virtutum genus requiratur, judicare, possunt. Est sæpe latens vis virtutis: sicut aliæ herbæ alijs anni temporibus flores, fructus ac semina sua protrudunt: Ita non postulandum est à nobilibus ingenijs, ut quotidiana edant virtutis suæ specimina, aut si non faciant propterea de ijs desperandum est. Et quæ unquam seges tam felix extitit? quis ager tantæ ubertatis fuit? quæ arbor ita fœcunda ubi non cassi aliqui aut putridi aliquando fructus enati fuerint? nihil tamen inde de segetis copia aut arboris ac agri fertilitate laudis decedit. 3. Quod in omnibus fit non animalibus tantum cicuribus, & bestijs, sed etiam seminibus herbarum, fruticum atq; arborum: ut alia in eodem genere grandiora, meliora & omnino nobiliora reperiantur, alia minutiora ac viliore: Jdem sane in humani generis propagatione fieri eò minus dubitandum quo clarior ac vulgarior est ejus rei usus ac consuetudo.

VI. Pars Παρέκβασις egressio.

Ex

Ex circumſtantijs perſonarum collaudet.

VII. Pars.

Indigna pati hunc ordinem, dum odijs omnium ac invidiâ laborat, eum peſſime totus audit de quorundam paucisſimorum incultis moribus, & crudelitate. 2. Cum ſane pulcherrime de univerſa Republica mereatur. 3. Cum ipſi nemo noſtrum ſalvus & ac incolumis ſine iſtis eſſe poſſimus: literati & illiterati tutelam ac beneficia alia debeamus.

VIII. Pars.

Probetur recte illis magnos adhiberi & primos honores ex locis univerſalibus. Juſto, neceſſario &c.

LOCUS COMMUNIS XIX.

In DECOCTORES.

EXORDIVM modeſtiæ cauſa dicit rationem hujus ſuſcepti argumenti.

Non male judicarit auditores aut longe à veritate abierit qui literarios ludos ſpeculam quandam appellaverit: undè in univerſam rempublicam longe lateq; circumſpiciatur, deq́, omnibus publicis privatisq; negotijs quædam quaſi cenſura inſtituatur. Neq; in jure quisquam reprehendere, aut curioſitatis temerariæ nomine accuſare poterit. Nam cum ſcholæ omnium in republica ordinum, inferiorum ac ſuperiorum, profanorum ac ſacrorum quoddam ſeminarium ac principium ſint: quid magis neceſſarium fuerit, quam à primis pueritiæ annis aures adoleſcentum, de rebus quæ ſub maturiori ætate tractandæ illis ſunt, accurrata judicia & creberrimas voces circumſonare? quod ſcilicet faciunt aliæ opificum atq; artificum tribus ut artis ſuæ diſcipulos, etiam tunc rudes, ſpectatores tamen velint operum quotidianos, frequentibus de ijs audire ſermonibus & paulatim aliquo quaſi primo artis colore imbui. Hoc ſane eò diligentius in literarum inſtitutione & acquirenda rerum aliqua prudentia faciendum eſt: quo ma-

jori negotio & opera difficiliori hoc genus in animum insculpenda est. Quanquam igitur à scholasticorum cathedris alienior videtur esse, de decoctoribus vel hominibus fidem in pecunia credita fallentibus oratio: tamen jure illo & consuetudine in scholis concessa quam dixi, licere mihi arbitror, ut quæ in istos dici possint ad vos proferam. Præsertim cum & altera mihi inde emergat utilitas, nec ea à vestris aliena commodis: scilicet ut ego quidem in causa difficili eo studiosius elaborem ingeniumq; acuam. Vos autem intelligatis, nihil tam remotum videri a pulpitis, quin si ad aliquam reipublicæ partem pertineat, orationis ornatu illustrari atq, expoliri queat. Ita ergo sentio auditores fidem in contractibus esse servandam idq; honestos cives debere, ut promissa exolvant.

Secunda pars orationis contrariũ propositio 1.

2. Intolerabilis illa videri debet vox in libera republica. Servare fidem rusticitatis opus.

3. Qui nomina, æs alienum grande conflant, in bonorum civium & honestorum hominum numero accenseri non possunt.

4. Qui alios accepta pecunia defraudant profugiendo, turpissimi & flagitiosissimi judicandi sunt & publicà infamia notandi.

Tertia pars orationis Narratio, quid agant defraudatores, vel quibꝰ signis agnoscãtur

Ut autem penitus & in cute fraudes horum pernoscatis, brevibus eorum artes ac dolos quosdam subnotabo. Primo audacissimi sunt, dum magni precij opes concredunt mari aut terræ etiam sed magno cum periculo transvehendas. Sæpius ex illis audies, qui non periculatur non lucratur, unde multorum millium, unâ nave pereunte, jactura sæpè illis fit. Secundo avarissimi sunt, ad ipsos hostes abeunt Hispanos, Turcas, alios terris remotissimis, horum crudelitati omnes fortunas suas committunt. Credo ad ipsum infernum si esset navigatio, isti fortunam suam istuc experirentur. Iidem tamen effusissimè in omnem luxum ac mollitiem prodigi: Preciosis utuntur vestibus, lautissimè victitant, palatia magnificè exstructa habent; simiarum, cercopithecorum & aliarum bestiarum catulos educunt; molossos grandes alunt: in mundo muliebri nullus modus nec luxui, nec sumtuum magnitudini, nec preciosissimarum rerum coemtarum frequentiæ statuitur: ferocibus volunt vehi equis, suppellectili utuntur copiosa, vasis aureis magnitudine ingenti, precio pæne inæstimabili. Et quis posset omnem istius profusionis modum saltem cogitatione percur-

rere,

rere, ne dicam oratione complecti. Tertio ubi tantis ſumtibus exhauſtæ ſunt tandem, non tantum propriæ facultatis verum etiam alienæ negotiorum cauſa ut ſit concreditæ: perfidi homines non tantum ſatis habent eam ſummam à ſe deperditam, verum etiam ad aliam majorem perdendam cupiditatem adijciunt. Itaq; undecunq; poſſunt mutuam pecuniam ſumunt, etiam aliena fide, cognatos, affines, amicos ut fide jubeant pelliciunt, alios uſuræ promiſſæ illecebrâ, alios divitiarum opinione, alios promiſſorum amplitudine ineſcant. Ita coacta ingenti pecuniæ vi, domo, uxore & liberis profugiunt: in alias regiones abeunt, ubi tuto illâ prædâ ſuâ frui liceat: aut per internuncios iniquiſſimis conditionibus tranſigunt, ut qui pecuniam illam crediderunt vel in decima parte acquieſcant, vel de tota ſorte deſperent. Quid hoc? annon eſt rapinam, furtum, latrocinium exercere? non in ſylvis ac ſolitudinum inſidijs, ubi locorum vaſtitate tutus ſis, ſed in maxima hominum celebritate, in urbibus, in foris, ubi nulla alia evadendi ſpes, quam quod inaudita ſit ſuſpicio de ulla tanta inſania, quæ hoc unquam audeat?

Quarta pa. orationis Cōparatio.

Comparentur cum tuberibus & ſtrumis, quæ in corpore humano ad cervicem vel faciem ſolent adnaſci. Primo illa non videntur deformia, ſed quaſi illius partis habitioris & ſucci plenioris argumentum quoddam ſunt: Ita hi videntur functuri eſſe bonorum civium officio, imò etiam ornamento futuri eſſe civitati. Secundò paulatim illa magis ac magis protuberant, & tumorem quendam contrahunt, aliarum ſanarum partium occupant locum, ſubducunt alimentum ac ſanguinem donec, tandem in vaſtam ac deformem molem excreſcant. Ita hi inſinuant ſe magis ac magis in aliorum negotia, res, rationes, facultates, vires negotiandi adimunt, ſibi attrahunt, monopolia exercent; aut quod iſtorum nummos concreditos habent, illis nomina, ſibi pecuniam attribuunt. Donec totum quodammodo reipublicæ, aut ſaltem negotiatorum corpus horum cupiditate affligatur atq; enervetur. Tertio illa ad tantam magnitudinem aucta, nec commode removeri nec retineri poſſunt: utrinq; enim deformitas & incommodum valetudinis. Ita hi ſi retinentur in civitate pergunt graſſari: ſi eijciantur relinquunt facultates negotiatorum exhauſtas.

Primum nullas habent, ideo fugiunt. Secundo, tamen aliqua

Quinta p. Gnomæ vel opiniones quibus se defendunt.
1. opinio.

conijciunt, quasi meticulosus hostis in fuga à tergo spicula. Dicunt primum non posse se è cute exscindere pecuniam, aut sudare. Resp. ô impudentiam! Ergo non debebant eòdem vel intra cutem abliguriisse, quam iterum exsudare non poterant, vel quam è cute exscindi molestum futurum erat: vel ne in illud angustiarum profusione conijcerentur maturè providisse officium erat.

2. opinio.

Dicunt eas esse fortunas negotiatorum, ut aliquando vento quasi secundo & prosperrimo successu utantur. Iterum quodam tempestatis adversæ impetu abijciantur & submergantur: desperandum tamen non esse, expectandum potius iterum facilemq; viam ventusq; ferentes. Resp. Frustra fortunam eos criminari, qui sibi ipsis luxuria fortunæ suæ fabri & rerum adversarum autores existunt. In eos commiserationem convenire qui cum industrij essent, cum temere nihil agerent nihil culpâ sua committerent, non ipsi res suas prodigerent ac profunderent, tamen fortunæ violentiam experti sint.

Sexta pars orationis παρέκβασις; Egressio.

Monstrat ex circumstantijs qui ac quales huic flagitio dediti sunt ex quibus parentibus, qua natura, educatione, moribus.

Septima p. præcisio misericordiæ vel odium.

Ex dictis per exaggerationem & applicationem congerat: cum sint tam turpes ac noxij cogitandum esse de gravissimis pænis, quibus ista pestis rerum publicarum reprimatur: qualis fuit Romanorum ac duodecim tabularum, secundum quas frustim concidebantur corpora mortuorum & in creditores distribuebantur concisa membra. Grave sanè supplicium, nec minus indignum ac horrendum istorum scelus. Comparentur hic cum latronibus & monstretur nequiora istos committere.

Octava pa.

Probet ex legibus, ex honesto, necessario, utili & oppositis locis pænam istorum.

LOCUS COMMUNIS XX.

De MAGISTRATU.

EXORDIVM captat benevolentiam à pietate vel veracitate dicentis.

Si piæ ſunt auditores eæ laudes quæ parentibus benemeritis à gratis liberis perſoluuntur: minimeq́; reprehendi poteſt, etiamſi domeſtica ſit, ea commendatio, & dicenti quodammodo communis, cum ijs quos prædicat; Scilicet quam pietas tuetur, quam officium exigit, quam gratitudo deniq́; efflagitat: an non longe æquior minusq́; criminationi obnoxia, videri debet oratio, quæ laudibus magiſtratus, noſtri tanquam communis parentis non familiæ unius alicujus,ſed univerſæ regionis impenditur? Atq́; hoc propterea ad vos præfari volui, non, ut ſi forte nimius in magiſtratuum præconijs dicendis viſus vobis fuiſſem, ejus rei veniam apud vos paratam haberem. Sed ſi piæ ingenijs tenuitate minus harum laudum magnitudinem aſſecutus fuerim; prænoviſſetis, non tam voluntatem mihi quam facultatem defuiſſe. Illud igitur eſt quod oratione efficere in votis mihi eſt, ut quam clariſſimum vobis appareat magiſtratum ſive eum hominum ordinem, qui ſuperiori autoritate, legum præſidijs, pænarum ac præmiorum arbitrijs communiti, reipublicæ moderantur gubernacula, eſſe quam ſaluberrimum, perneceſſarium ac plane Divinum. Quod ſi vos exiguo temporis curriculo aures animosq́; veſtros attentos mihi præbueritis, ſpero fiet, ut dignitatem hujus ordinis, antea non ignotam vobis clarius & illuſtrius cognitam habeatis.

Prop. 1. Principiò in confeſſo eſt, quod anarchia & confuſio ubi nulla lex, nullus Magiſtratus, nullum imperium & obedientia eſt: Sit pernitioſisſima conditio, & peſtis ſocietatum humanarum. *II. pars Contrariū.*

2. Magiſtratus non eſt vituperandus.

3. Magiſtratus eſt laudandus.

4. Ubi eſt laudabilis conſtitutio ſocietatum & Reipub. ibi eſt Magiſtratus.

5. Ubi eſt mala & vituperabilis conſtitutio & miſera adeo conditio ſocietatum, ea plæruną; proficiſcitur ex anarchia. &c.

Deſcribat ſingularia facta Magiſtratus, quæ ſunt pulchra & laudabilia, & in oculos incurrunt Poſſunt dividi ſecundum virtutes. 1. Secundum fortitudinem hæc agit. Magiſtratus ſolus vigilat quando alij dormiunt, providet muris & ſingulorum domibus, ut & ab internis turbis ac ſeditionibus,& ab externa vi tuti ſimus. Singuli ſua tantum metuunt pericula: Princeps omnium. In bello, ille primus in *III. pars Narratio*

acie

acie conſpicitur, adducantur hiſtoriæ, Alexandri, Scipionum &c. Et ipſe pugnat, & alijs pugnandi addit animum, oratione & exemplo. Duce ſtante ſtat miles, cedente cedit, cadente cadit, vincente vincit. Quot militum quisq; vulnera excipit, tot Princeps ſuo ſibi corpore ſuſcipere videtur. Quoties Martis violentiâ militum aliquis in acie cecidit; toties ipſe mori ſibi aut morte adeò durius quiddam pati videbitur. Cum ſubditorum ſuorum ſanguis longè ſua ipſius vita charior ſit. Unde non in clypeis tantum ac vexillis ſcriptum, ſed ex omni vita, conſilijs ac inceptis apparere videas illud: Pro Lege, & pro grege. Item alia hujus generis, Alijs inſerviendo me ipſum conſumo: Satius eſt unum civem ſervare quam mille hoſtes perdere: Pro patria mori pulchrum. Huc pertinet Alphonſi Regis Pelicanus ſanguine ſuo pullos in vitam revocans.

II. Sic porrò ſecundum reliquas virtutes enarremus, quæ in Magiſtratu apparent elegantia facta, quàm temperanter vivant ac ſobriè. Quæ faciant liberaliter: quæ magnificè: quæ ex animi magnitudine: item quam multa modeſtè, clementer, humaniter. Præſertim juſtitia adminiſtranda ab his tota dependet; ut propulſentur injuriæ; benefactis præmia ſua promta ac parata ſint, in facinora autem & maleficia ſeveræ ac condignæ pœnæ ſtatuantur. Doctorum virorum ingenia unius Principis nutu ſtantq; caduntq;. Quia honos artes alit, omnesq; ad ſtudia gloria incenduntur. Atq; hæc a Principibus præcipua expectatur.

IIII. Pars. Comparetur cum acumine & ſummitate arboris.

1. Cacumen facit, ut arbor longè lateq; conſpiciatur: ita regioni ſplendor, decus, celebritas a Magiſtratu ſuo eſt.

2. Natura in ſummo faſtigio collocatum eſt cacumen, & reliquis partibus præeminet: ita Principi divinitus collata eſt præ ſubditis excellentia & præcipua quædam authoritas.

3. Inferiores partes communi opera ac promtâ cacumini ſuppeditant ſatis largam alimenti copiam; tum robur ac firmamentum præſtant, ne tempeſtatum violentia decutiatur. Eadem igitur debent Subditi etiam Magiſtratui ſuo.

4. Cacumen eſt quaſi operculum arboris: omnes tempeſtates, pluviæ, grandines, ventorum turbines, Solis æſtus & reliquæ in illud

ingruunt: ab ijsdem reliquas arboris partes immunes præstat fastigium. Ita Princeps solus omnes omnium molestias excipit in, hunc subditorum lites, querelæ, seditiones, hostium incursiones fiunt. Singulis sua cuiq; onera: Principi omnia incumbunt.

V. Pars Egressio. Commendentur Principes vel Magistratus à locis personarum, ab origine, educatione, natura, moribus, habitibus intellectualibus, fortunis &c.

VI. Pars Gnome. Referat honestas multas sententias, quibus Magistratus sæpè utitur & quibus hic ordo commendatur.

VII. Pars Misericordia moveatur, propterea quod indignis lacerantur contumelijs à nihili hominibus. Item, stomachemur adversus eos qui Magistratui male loquuntur.

VIII. Pars. Probet ex locis universalibus, legitimo, necessario, utili, justo, & quod Magistratui summus secundum DEum honor sit tribuendus.

LOCUS COMMUNIS XXI.

De NOBILIBUS IN PARtem pejorem.

Exordium à significatione modestiæ & invidiæ declinatione.

ELoquentiæ studium, Auditores, tum reliquas eas disciplinas, quæ cum hac cognatæ quodammodo sunt & conspirant & a juventute literaria exercentur, eas inquam jam à multis seculis in more positum est humaniores literas appellare. Cum enim omnis ingenua eruditio animum à feritate & morositate ad convictum importunissimâ ad compositos mores adducat tum: imprimis istæ literæ quas humaniores inde appellari placuit, hoc facere visæ sunt. Nihil igitur alienum magis ab his studijs esse debebat, quam obtrectatio; quàm invidiæ stimulis incitari, quàm calumniæ exagitari furijs: Quoniam nihil magis pugnat cum humanitate ac morum ingeniiquè suavitate, quam in illis requiri-

mus qui his literis dediti sunt. Atq; ut quorsum hæc à me dicantur intelligatis, institui in corruptos quosdam nobilitatis mores quædam dicere pro more istorum exercitiorum. Et hic quantum periculum subeam, quomodo ita imprudens essem & parum cogitans ut non providerem? sed nubeculas in fronte istorum qui tangi se putabunt quod conscij sunt sufferendas puto. Vestras autem aures ut integras mihi servem hoc maxime laborandum mihi video. Quare id sanctè vobis affirmo non criminandi animo, non calumniæ causa, non quod cuiquam invideam aut obtrectare vel hominis laudibus gestiam, huc progressum esse; sed ut veritati testimonium diceretur, debitus virtuti honos haberetur; præmonendo à morum quorundam feritate alij absterrerentur, hanc periculi non nullius aleam subijsse. Vos facite, ut à me si quid forte reliquum est animi minus pro rei dignitate constantis, æquanimitate vestrâ erigatis.

II. Pars Contrarium.

Ignobiles qui nullos ostentant in clypeis ursos aut leones pictos, & quibus à plurimis prædijs & rusticorum multitudine non ad superbiam imflammatus est animus; hi inquam sunt longè commodiores & tractabiliores, & sæpe plus ad rempublicam utilitatis afferunt. 2. Generis obscuritas nemini obstitit ad res præclare gerendas, & sic neq; laudi cujusquam detrahere debebat. 3. Quemadmodum nec illa magna laus est, cum ipse vel obscurissimus sis vel etiam flagitijs nobilitatus: tamen majorum tuorum aut famâ celeberrimâ ac honestissimâ, aut venustè saltem & eleganter aut monstrosè etiam pictis clypeis & insignibus te efferre. 4. Quin potius hoc sibi persuasissimum habeant qui à nobilissimis, hoc est ut ego interpretor, propter res prudenter, fortiter, magno animo administratas, clarissimis genitoribus originem & sanguinem ducunt, non gloriæ sed infamiæ, non honori sed pudori, non laudi sed summo dedecori sibi esse familiæ suæ nomen & famam amplissimam, si non semina illius domesticæ sibi virtutis, testimonia & signa maxime perspicua in sua etiam vita & gestis rebus appareant.

III. Pars Narratio.

Quod quò minus ac rarius fit, eo magis ac gravius retundendi

esset hujus ordinis ferocia, ac fastus pænè intolerabilis, quod nihil quidem dignum isto, quo haberi volunt loco perpetrant, interim se omnium primos ac principes passim obtrudunt.

Narrentur hîc nobilium facta, turpia, fastuosa, ridicula omnia. 1. Quid pueri nobiles agant in ista ætate, quomodo affectent primas partes: Et quomodo ac quibus vitijs sint obnoxij. 2. Quid adolescentes, & viri. 1. In vestibus. 2. In convictu cum alijs. 3. In legibus communis societatis 4. in moribus. 5. In emendo & vendẽdo. 6. Erga superiorem magistratum, erga pares nobiles vel cives; Potissimum erga Rusticos quales se gerant, quàm jmmodestè, quam illiberaliter, quam impiè miseros istos habeant: Ipsi longè viliores aliquando, si compares mores unde homines unicè æstimandi sunt. 7. quam alieni à re militari cum tamen milites sint: quam intemperantes; quam illiberales aut prodigi; quam ambitiosi. Imperatorio utuntur sermone, incessu gallinaceo, contemnunt præ se fastidiosissimè alios: nemini via cedunt, potius de vita certant, nemini salutem precantur, ne salutanti quidem etiam honesto homini: magno comitatus strepitu, plumarum umbris, & caligis undantibus terribiles: Quam gloriabundi; quanti scurræ: quam fraudulenti, parum constantes in promissis exsolvendis, &c. Quam alieni à literis, quas nec ipsi discunt, & in alijs pessimè oderunt. Immò pessimi criminis loco objiciunt. Quanti contemtores divini verbi. Nullarum pænè rerum periti nisi potationum & commessationum struendarum. Venationibus quomodo plus æquo tribuant &c.

IV. Comparatio.

Comparentur cum Basilisco. Hic ex Gallo optimo animali & domestico, animal fœdum & pestilentissimum. Ita illi. 2. monstrosa utriusq; genitura. 3. Hic ex ovo neglecto, insidente bufone. Nostri ex neglecta institutione corrumpentibus adulatoribus. 4. Hic arenas & solitudines àmat, nullam patitur secum habitare bestiam, etiam aves istuc prætervolantes necat visu. Nostri item, rure suo delectantur. Hic omnes longè lateq; agros cultoribus suis vastant: Peregrinis insidias struunt. 5. Hic omnium bestiarum, etiam hominis hostis: an non etiam isti? 6. Vel intuitu omnia necant, quid istis

 aliud

aliud in votis? quid aliud ſpirant, quam gladios & cædem? 7. ſeipſum necat in umbram ſuam, venenum oculorum efflans: quod invideat alij rei ſui ſpeciem: illi in cognatos, fratres mutua cæde ſæviunt; ſibiipſi poculis ac trullis magnis vitam exhauriunt: quod his invideant majorem ventre ſuo capacitatem.

V. Pars. Gnome.

Vel opiniones quibus ſe defendunt.

1. Hoc maxime convenire illi dignitati atq; excellentiæ qua alijs præferuntur, ut ſuo vivant ingenio ac more & ea vitæ ſeveritate quâ ruſtici non coërceantur. Nec enim eum nobilem eſſe qui ſervili & meticuloſo ingenio natus, nihil ultra vulgus audeat, & communes cum plebecula leges ac pœnas metuat. R. Ubi hoc iſti homines diſputant? An non Rebuſpub. optimè inſtitutis? Atq; hic ſapienter ſanè illud proviſum eſt, ut quo quisq; ab eruditione, animi præſentia, rerum multarum uſu ornatior atq; inſtructior eſt, eò potiorem in Rep: locum habeat. Qui à nullum literarum, nullum alicujus experientiæ, nullum rerum laude geſtarum ornamentum afferant, & quorum vita à turpibus flagitiorum ſordibus inquinata ſit: licet ijdem multis majorum meritis commendentur; tamen in honoribus mandandis prætereantur. 2. Dicunt majores ſuos meritos eſſe ac peperiſſe ſibi gloriam. Reſp. At quibus fruerentur poſteri, ſi id operam dediſſent ut eorum virtutem etiam aſſequuti eſſent, ut ſic familiæ antiquitas eò eſſet illuſtrior, quo ad majorum famam grandior accepiſſet, gloriæ cumulus à poſterorum induſtria. Quemadmodum idem fit in hæreditate; ut qui conſervant eam illi habeant, non quorum parentes quantumvis ampliſſimam poſſiderunt.

VI. Egreſſio.

Ex circumſtantijs perſonarum deſcribit.

VII. Pars Præciſio Miſericordiæ.

Vel coërcendam hujus ordinis luxuriem & ferociſſimos ſpiritus ſeveris legib. à ſuperiori Magiſtratu.

VIII. Pars.

Jdem probetur ex locis univerſalibus.

Exem-

Exempla Laudationis

LAVDATIO PRIMA.

Aaronis ſummi ſacerdotis inſtituta defuncto parente à filio Eleazaro ſucceſſore ad populum Jſraëliticum.

Exordium captat benevolentiam. 1. à ſignificatione communis cum populo doloris hujus & pietatis ſuæ erga Deum: Quas virtutes, ſignificat ſententijs talibus ſuper repræſenti. 2. à ſignificatione Modeſtiæ.

VEllem, viri fratres, Jehova noſter ita feciſſet, ut, quod in omnium veſtrum votis fuit, pontificem Maximum veſtrum vel multis etiam ſeculis præſentem habere, vel quoniam id imbecillitati humanæ conceſſum non eſt, ſaltem ijs annis, quibus Reſpub. noſtra & Religionis negotium in terra Canaan conſtitueretur, vivum potius venerari, quam mortuum iſto hodiè publici luctus & exequiarum honore proſequi licuiſſet. Verum quoniam aliter viſum eſt divinæ clementiæ: ille quidem in beatiſſimum Numinis complexum abijt, & ita ſanè, ut quamvis ex ſumma miſerie in felicitatem incredibilem diſcedere ſe à nobis quàm perſuaſiſſimum haberet, tamen quòd de ſalute veſtra eſſet quam maximè ſollicitus, veſtris rebus conſulere diutius maluiſſet, ſi divinæ Sapientiæ idem placere potuiſſet. Nos verò quamvis in divina ea voluntate jure, meritoq; acquieſcimus: quod ille ſacrorum noſtrorum præſidem ademit, qui dederat, & cui ſumma Religionis ac Reipub. noſtræ cura incumbit, Deus ſcilicet; tamen ita meritum de nobis cenſemus hunc noſtrum pontificem, ut item jure ac ſecundum pietam faciamus, quod hoc quaſi caput quoddam noſtrum avulſum doleamus, ſacrorum noſtrorum principem ereptum lugeamus, univerſi populi hujus alterum parentem deſideremus. *1. Significatio doloris & pietatis.*

Quod igitur ea cauſa hodiè confluxiſtis, ut hujus voluntatis veſtræ ſinguli publicum ederetis teſtimonium, laudo ego vos *2. Significatio Modeſtiæ.*

viri Israëlitæ: nisi quòd à me hoc postulastis, ut voce præirem, & quæ in funere pontificis dici debēt, ego ea oratione fungerer. Quod vereor dicere quàm grave sit, ne si nimium detrectavero, & in parentem impius, & erga vos morosior videar, quam officij ratio permittat. Faciam igitur quod jussistis, sed hac lege, ut si quid minus, aut etiam amplius dixero, quam dici debuisse cupiam videri poterit, magis id cogitetis, quid per dolorem possim, quam quid jure à me flagitetis.

Secunda p. exercitij, probatio circumstātia 1. Gens.

1. κατάστασις.

PRÆPARATIO. Solent, qui in hoc genere orationis elaborat, pleriq; à prima cujusq; origine principium ducere, & de gente ac populo, unde quisq; ortum traxerit, multum verborum facere. ACCOMMODATIO Et sanè non minimum in eo ad ornandos eos, quos laudare velis, situm arbitror adjumentum: cum & verissima videatur ac justissima ea laus, quæ à multis annis ac seculis per majores nostros acquisita & conservata sit: & non tantum facilè occurrant, sed etiam copiosissimè suppetant in numeroso aliquo populo, & ex multorum annorum rebus gestis, quæ huc converti possunt. Verum hac parte orationis videor mihi nunc non satis commodè uti posse, non quod eò minorem hanc laudem putem, quia cum omnibus vobis, quotquot amplissimo hoc campo vos circumspicio communis sit: cum potius eâ causa longè gloriosissimam parenti & familiæ nostræ hanc originem putem: Sed quòd ita animum induxerim huic loco & tempori convenire, non ut omnia, quæ poterant parentis mei honori esse, in concionem afferantur, etiam, quæ illo erepto tamen salva nobis reliqua sunt: verùm ut in eorum saltem memoriam vos regredi faciam, quæ ita propria fuerunt sacerdoti nostro, ut illo amisso simul Respub. nostra egregij alicujus commodi atq; ornamenti sui jacturam fecisse videatur. Itaq; etiam à Majorum nostrorum mentione abstinendum erit.

2. Accommodatio. Descriptio huj9 circūstantiæ per præteritionem.

2. Circumstantia Majores.

Quæ sanè honestissima atq; amplissima futura fuisset oratio, si non apud eos dicendum esset, quibus nota hæc sunt, ut sine fastidio commemorari haud possint: tum nisi ab instituto meo, quod dixi, alieniora forent.

Accommodatio.

Quæ enim amplior homini nostrati alicui laus attribui potest, quam quod ad communem parentem Abrahamum originem sanguinis referimus? cum quo non civitates tantum Hethæorum, Hebron, Sodoma & vicinæ: non viri principes tantum Aner, Mambre, &

Descriptio iterum per præteritionem, sed simulatam. Genes. 14.

Eſcol: non reges tantum pharao Ægyptius, Bora Sodomæus, Abimelechus in Gerar, & ſine dubio etiam alij fœdera expetiverunt: ſed Deus ipſe cum Abrahamo ſacroſanctum circumciſionis & ſalutis æternæ fœdus pepigit: neq; illud tantum paucis annis cum ipſo uno alendum, ſed quod multis annorum ſeculis ab Abrahamo ad omnem ejus poſteritatem pertingeret. Ut quòd nos homines ſumus, quod populus Dei ſumus, quod tot ſtupendis beneficijs divinis affecti ſumus, quod brevi, faciet enim hoc Deus, terram promiſſam poſſeſſuri ſumus: hoc univerſum proximè & ſecundum Deum Abrahamo communi noſtro parenti debeamus.

Geneſ. 14.

Abrahami laus.

Sed non attingam nunc illa, neq; adeò de Jſaaco dicam filio hujus, tot annis antè promiſſo, quam poſtea per miraculum à parentibus effœtis naſceretur: nimirum, quemadmodum fulminum generatio & proruptio non in momento abſolvitur, ſed nubium concurſus quidam, & luminis ſolaris obſcuratio longè antè iſtam portendunt: tum mirabili quadam fit ratione, ut ex nubium iſtarum, hoc eſt aquarum colliſione ignis ille erumpat: ita animadvertere licet non ſemel tantum factum eſſe, ut Deus, quos ſingulari animi, virtutis felicitatisq; genere in vita excellere voluit, eos & prædictione & ſæpè miraculo etiam nativitatis illuſtraret. Ita porrò D. Jacobus Patriarcha prætereundus mihi eſt, item filij hujus duodecim, in quos primos generis noſtri amplitudo, tanquam exſolidatâ, jam per Abrahamum, Iſaacum & Jacobum ſtirpe in ramos & propagines ſuas evagata eſt.

Alter majorum Iſaacus.

Accommodatio.

Tertius majorum Iacobus.

Illuc venio, quæ propius parentem meum attingunt, nempè ad tribum noſtram__. Atq; ut hic rem altius repetam, meminiſtis, quod &c. Hic deſcribatur cædes primogenitorum in Ægypto, Exod. 11. Unde Deus peculiariter ſibi vendicavit primogenitos Iſraëlitarum, Exod. 13. Iterum hos vendidit Iſraëlitis tribu Levitarum Num. 3. ut cum omnis noſter populus Dei ſit redemtionis jure, quod eum Deus ab Ægyptiorum ſervitute liberavit: tamen levitæ duplici lege ad Dei familiam pertineant. Dicatur hic de veſtibus ſacris, de officio ſacro, de varijs privilegijs Levitarum &c. Et ſingulorum reddatur ratio aliqua ad laudem hujus ordinis. Cavete igitur mei fratres, ne minus reverenter hunc ordinem habeatis, neve aliter de eo judicetis, quam Deus præſcripſit, ut ſanctos ſcilicet, & ſacros exiſtimetis eos, qui hinc nati ſunt.

Quartus majorum Levi. Deſcriptio.

Accommodatio per adhortationem.

ti ſunt. Addi poteſt expolitio.

Accommodatio per adhortationem.

Ex Levitarum ea tribu parens meus nativitatis origine deſcendit. Nam Levis primus tribus noſtræ autor inter reliquos filium Cathum habuit, & ex hoc nepotem Amramem, pronepotē Aaronem & Moyſen. Ita Amrames pater Aaronis, Cathus Avus, Levis proavus fuit. Honeſtiſſimi ſanè hi in gente noſtra habiti ſunt, & poſſem ejus rei documenta clariſſima proferre, niſi ad alia properarem.

Omittitur Accōmod.

III. Circūſtantia parentes.

Hos communes habemus parentes cum Moyſe, duce, propheta, & interprete noſtro apud Deum. Poterunt hic quidam inſigniores actus ex vita Moyſis deſcribi, qui ad laudem attineant.

IV. Circumſtantia Frater Moyſes.

Accommodatio per Noëma.

Hanc igitur præcipuam felicitatem ſuam prædicare memini parentem meum, quòd Moyſen fratrem haberet, à quo & à pueris ad ejusdem virtutis æmulationem accenſus, & adultiori ætate in officium hoc allectus eſſet, & in eo divinis conſilijs regeretur. Præterquam quod ita judicaret, eum virum, qui univerſo huic populo ornamento inſigni eſſet, inde quia ex gente noſtra tantum Prophetam exiſtere Deus voluiſſet, ſibi fratri eò majus quoddam decus, aut majorem ſaltem jucunditatem afferre, quò propiori originis conjunctione copularetur.

V. Circumſtant. ſoror

Ex eodem autem conjugio etiam Mirriam vel Maria prophetiſſa amita mea ſuſcepta eſt, cui non ita dudum eſt, cum funus duceremus, vosq; ipſi publicè teſtati eſtis, quantopere & vivam admirati fueritis, & mortuam deſideraretis. Deo ea ſit laus, qui avo meo hanc ſingularem felicitatem liberorum indulſit, ut non quidem ſuæ alicui voluptati, cum magnum ſemper dolorem ex filiorum calamitatibus perceperit, ſed tamen inſigni nominis gloriæ & univerſæ gentis noſtræ ſaluti trinam illam ſobolem ſuam educaret. Utinam vel ſinguli vel plurimi eadem benignitate numinis afficeremini. Tantum enim abeſt, ut cuipiam invideremus hanc gloriam, ut etiam eò magis gentis noſtræ nomine gaviſuri ſimus, quò communius fuerit illud Jehovæ beneficium.

Accommodatio per Apoſtrophē ad Deum & communicationem.

VI. Circūſtantia Educatio.

Si illud etiam ſcire quippiam intereſt, triennio major Moyſe eſt Aaron: ille in aula, hic domi apud parentes fuit educatus ſollicitè ſanè & piè, ſed pro illorum temporum infelicitate minus ad eas artes adhiberi potuit, quibus hæc ætas ſolet ad ſplendorem aliquem ingenii

informari. Sed ut videas non tam ab humana induſtria, quam cœleſti indulgentia proficiſci illud, quicquid eſt ab eruditione ornamenti, mirabiliter cecidit, ut Aaron nullis imbutus literis, diſertior tamen præ Moyſe, in eloquentiæ artibus diligentiſſimè inſtituto, haberetur, imò hujus eloquentiæ teſtimonium Deus ipſe Aaroni diceret, Quis enim eſt &c. Exod. 4. v. 11.

Mores: 1. Fortitudo, quod in omni vitâ novit imperare metui, & ſumma fiducia in periculis graviſſimis uſus eſt. 2. Modeſtia, quod nunquam ſuperbijt in ſumma poteſtate. 3. Humanitas, nunquam cuiquam moroſius reſpondit. 4. Manſuetudo, quod adverſus calumniatores nunquam ſævijt, paſſus eſt, promptior fuit ad ignoſcendum, quam illi ad agnoſcendum delictum, 5. Veracitas, candidè & apertè ſemper faſſus eſt, quod res erat. 6. Juſtitia & Innocentia: neminem defraudavit, ſemper populum præcipuè adhortatus eſt, ne cui injuriam aut vim facerent. *7. Circumſtantia Mores.*

Mores hi ſic ſunt exponendi, 1. Accommodatio eſt propoſitio Major, e. g. Fortitudo eſt pulcherrima virtus. 2. Deſcriptio eſt propoſitio minor, e. g. Aaron fuit vir fortis, conſtantiam animi ſemper tuitus eſt in omni vitâ. 3. Altera pars accommodationis eſt concluſio, e. g. Igitur fortiſſimi viri in Aarone jactura nobis facta eſt. *Tractatio horum morum.*

Major propoſitio illuſtrari poteſt aliqua breviuſculâ expolitione addita: vel tractatione Loci communis, aut ſaltem addito Simili, contrario, exemplis alijs, ſententijs. Deſcriptio hîc non debet digredi ad ipſorum factorum ſingularium enarrationem, ſed ſaltem fortitudinem, aut aliam virtutem ex illis factis plurimis, quæ nota ſunt vel ex totius vitæ curſu, urgere & exprimere, e. g. non eſt hîc deſcribendum, quomodo ingreſſus ſit ad Pharaonem, ſed tantum in genere dicendum, quod in omni vita moderari noverit metui &c. Præterea varietas hic ſervetur jam antè præcepta, ut accommodatio, & ſic reliquæ partes, aliquando omittantur, aliquando brevius, aliquando prolixius exponantur: aliquando medio, aliquando primo, aliquando ultimo loco collocentur, ſemper alio atq; alio efferantur ſchemate.

1. Officium Sacerdotale, pontificatus, vocatio, Num. 17. Confirmatio per miraculum, officij partes, veſtitus. *8. Circumſtantia: Relatio.*
2. Conjugium. 3. Liberi.

Res gestæ. Res gesta describatur præcipua illa Numer. 16. v. 46.

Tertia pars exercitij comparatio Comparatio instituatur cum Josepho.

Epilogus habet repetitionem, & secundo preces, ut Deus conservet Ecclesiam.

Laudatio II. Abneris,

Imperatoris in exercitu Saulis: habita à Davide Rege in funere: Anno regni Davidis super Juda octavo & super Israëlem primo, Anno Mundi 2898.

Exordium captat benevolentiam à significatione pietatis & modestiæ suæ. Utramq; significat sententijs de re præsenti: scilicet de Abneris virtute sentit honestissimè: de morte perfamiliariter & piè. Elocutionis figura προσληψις sive Assumtio generis.

CUm omnis virorum fortissimorum obitus atq; jactura, & regioni cladem insignem afferat: & Principi tanquam Reipub: oculo aut capiti præcipuè dolere debeat: tum hujus viri mors, cui hodierno die funus facimus, & vehementissimè Remp: nostram & universum populum Israëliticum afflixit: & inprimis mihi novo Regi luctuosissima exstitit. *Ætiologia.* Nam omnium nostra ætate gravissimo viro orbata est Respub: nostra: & ego fidelissimum amicum, fortissimum ducem, & exoptatissimum Pacis auctorem inter nostram & Saulis domum, inter Judæ & Israëlis regnum amisi. *Amplificatio à tempore.* Accedit temporis importunitas: quod ipsis regni novi auspicijs tanta hæc calamitas accidit: ut illa initia principatus nostri super Israële, tristissimâ hac cæde pessimè contaminata sint. *2. Pars Docilitas.* Sed quoniam hæc nobis non tantum non auctoribus, sed ne conscijs quidem perpetrata sunt, te Jehova, testem sanctissimum appello: capiti ipsorum sint hæc fœdissima omnia, qui scelere isto manus commacularunt. Nostrum autem regnum ut Deo ritè expietur post providebimus: interim quod possumus, & præsentis temporis postulat ratio, honorem illum habebimus defuncto nostro, ut quod perpetuæ ipsius, pro meritis, fœliciq; memoriæ sit, paucis tanti viri laudes inter nos recordemur.

2. pars Exercitij, Ipſũ Encomium 1. Circumſtantia à gente.

Natus eſt ex tribu Benjamin. Deſcriptionis loco narretur hiſtoria de Benjamino Gen. 35. v. 6. & Cap. 42. & ſeq. Item de præcipua potentia hujus tribus: qua abuſi ſunt ad luxum Judic: 20: ubi ferè omnes ad internecionem deleti ſunt. Sed poſtea revaluerunt. Regia ſedes fuit in hac tribu & ipſum Domini templum.

Accommodatio.

Magna eſt laus ex populo Iſraelitico ortum ducere: major igitur ex præcipua hujus tribu.

Egregium ornamentum eſt ipſi Iſraëlitico populo urbs Regia & Domini templum: magis igitur egregium, vel majus ornamentum eſt ipſi huic tribui Benjamiticæ, quod in hujus ditione & regia ſedes & religionis exſtitit: &c.

2. Circumſtãtia, Majores & cognati.

Abner fuit filius Neri: qui fuit pater Citis & avus Saulis: ut ſic Abner ſit patruus Regis Saulis.

Accommodatio.

Eſt certè magnum ad virtutem momentum ſitum in ipſa ſanguinis & originis nobilitate.

3. Circumſtantia, Educatio fingatur.

Dicat David, ſe audiviſſe à Samuele quam accurratè ſit educatus, quam piè & modeſtè: adeò ut id publicè notum fuerit, & celebratum elegantis educationis exemplum. Tum ipſos mores ſatis dixiſſe teſtimonium. Et deſcribatur educatio talis fuiſſe, qualem ſolent exigere præcepta Philoſophorum.

Accommodatio.

In educatione omnis ſpes reliquæ vitæ eſt.

4. Circumſtantia Natura.

Corporis proceritas gravis & terribilis quodammodo: ut ad tam auguſtum Imperatoris munus non tam electus quam natus videretur. Nec minus in animo animadverſa eſt à puero inuſitata quædam magnitudo & gravitas, ac conſtantia in quibuslibet audendis.

Accõmod.

Natura plus poteſt quam aſſuefactio.

5 Circumſt. Alij habitꝰ.

Peritia rei militaris quædam fuit in hoc viro ſingularis.

Accommo.

Valdè neceſſaria eſt non dicam copia, quæ obtineri non poteſt ſed paucitas ſaltem & raritas quædam hujusmodi hominum ab arte militari inſtructorum &c.

6 Circumſt. Mores.

1. Fortitudo. 2. Temperantia. 3. Modeſtia. 4. Animi magnitudo. 5. Magnificentia. 6. Fides in Dominum Saulem ſingularis.

7 Circumſt. Res Geſtæ.

1. Secundum Pietatem. Cultum religionis promotum cupijt: contulit ingentem auri ſummam ad ædificationem templi. 1. Paralip. 26. v. 18. 2. Secundum Fortitudinem. 1. In bello contra Philiſtæos. 1. Regum 17. v. 25. Et in altero bello 1. Reg, 14. v. 50.

Accommo. Ea demum vera est laus gravissimis periculis pro Repub: & Magistratu suo se objicere. Item cum Saul persequeretur Davidem, adfuit unà Abner. 1. Regum 20. & narretur hic historia mirabilis, quomodo noctu ingressus sit in castra & tentorium David propè dormiente Abnere.

Accommo. per Inflexionem. Multa coguntur facere qui vivunt sub injustis imperijs præter voluntatem. Narretur hic historia de ludo 24. puerorum vel militium 2. Regum 2.

8. Circũst. Relationis. Primum Imperator summus fuit, & primus quidem. 1. Regum 14. v. 50.

Accom. Magnum hoc est virtutis testimonium, tanto officio præfici.

2. Fuit pater. Habuit filium Jasielem, virum à virtute paterna haud degenerem. 1. Paralyp: 27. v. 21. *Accom.* Præclarum capiunt virtutis suæ fructum parentes, si hujusmodi non tàm corporum quam animi sui imagines posteritati relinquant.

3. Habuit amicos: Ipsum Davidem. Colui istum virum à prima pueritia: tùm propter virtutem tùm etiam merita: quia primus adduxit me ad Saulem Regem. 1. Reg. 17. v. 50. Deindè in aula Saulis multis annis sumus conversati, & cum Rege eadem mensa cibum capiebamus. 1. Reg. 20. v. 25. Item fuit amicus filiorum Saulis: & cum à morte Saulis propter regni invidiam inter Isbosethum & Davidem dissensio oriretur, Abnerus maluit filio Regis adhærescere, & hujus causam quantumvis injustam tueri.

Accom. Ministrorum non est inquirere sollicitè in Dominorum causas: sed pro fide quam promiserunt salutem & dignitatem eorundem defendere.

9. Circũst. res gesta quædã singularis secundum justiciam. Quod suscepit pacificationis negotium inter regnum Juda & Israël. Prolixè hoc describatur 1. Præmonitio modestiæ causa.

Propter sinistras quorundam suspiciones dicam vobis rem omnem ut gesta est. Mortuo Saule fecit Abnerus quod debere se putabat Regi suo, ut filiorum tutaretur dignitatem. Itaq; cum præcipuæ auctoritatis princeps esset, filium Saulis Isbosethum Regem super Israële constituit: atq; adeò etiam me armis & bello adortus est, quem vos viri Judæ Regem elegeratis.

ἐπίκρισις Judicium. Qua in re quod fatendum omninò est, haud leviter erravit tantus

tus

tus vir. Eæ verò sunt humanæ infirmitates, nihil adeò est in consilijs nostris perfectum, & non aliqua labecula correptum erroris humani. Fecit tamen in eo quòd viri fortissimi & justissimi esse judicaret, ut nihil à regni Judæ potentiâ metueret, quin quod deberi Domini sui filijs auctoritatem regiam, quod eam vindicare ad se pertinere putaret, armis contra me decertare non recusaret. In eo autem error commissus est, quod potius viribus experiri, quam Divinis oraculis cedere, quod potiorem fidei suæ erga regem quam erga Deum rationem habendum censuit. Hîc fiat digressio in alteram quandam narrationem de Jure Davidis ex 1. Regum 15. ubi versu 28. aufertur à Saule & filijs regnum, & cap. 16. ubi ungitur David à Samuele in Regem.

Accommo.

Mitigatio ἐπικεί-σεως.

Quid igitur aliud fuit adversum me pugnatum venire, quam cum Deo ipso belligerare?

Accommo.

Quid aliud Isbosethum regem proclamare, quam Deo reclamante regem populo obtrudere?

Quare cum totis istis septem annis satis adversis rerum successibus de errore admoneretur, cum corrigere ista consilia in animo haberet, sæpius de regno nobis restituendo cum ipso Rege Isbosetho, sæpius cum alijs locutus est. Cum sine tumultu res transigi non posset, toleravit hactenus, donec tandem, quod ab Isbosetho inclementius appellaretur, ira accensus, cum putaret sibi injuriam tam optimè merito fieri, fortiori animo hoc ausus est, quod justè se facere posse dudum quidem viderat, sed præ superstitiosa nimis erga Dominum fide ausus non fuerat.

Narratio: Quomodo Abnerus tandem mutaverit mentem.

Auditione accepisse vos puto, quæ nuper fama publica ad nos retulit, de Græcorum quodam rege Codro. Duæ potentissimæ Græciæ Civitates Athenæ & Sparta bellum inter se gerunt. Cum consuluissent oracula sua de præliorum eventibus, fortè responsum est, eam partem superiorem discesuram esse, & potituram alterius imperio, cujus princeps in ipso prælio occubuisset. Cum ea responsa ad castra relata essent, Atheniensium Rex Codrus quidam inaudita atq; inusitata quadam cupiditate gestijt morte sua Atheniensibus suis victoriam & imperium in hostes comparare. Cum autem metueret, ne hostes ab agnito manum abstinerent, ille sumto habitu rustico in hostium castra progressus quos fortè obvios habuit milites, jurgijs ad sui cæ-

Tertia pars Exercitij. Comparatio

dem provocavit. Nec fefellit prædictionem eventus: & Athenienses hostium castris & ditione universa potiti sunt. Sane rara & inaudita omnibus seculis animi magnitudo, ut præ subditorum salute, propriam potuerit posthabere. Verum comparate mihi Abneri nostri consilia, longè majorem virtutis ac laudis materiam reperietis. Ille Rex, hic Privatus: ille victoriam, hic perpetuam pacem comparavit: ille cum gloriæ spe, hic incerta salutis opinione se in manus nostras commisit. In eo uno infelicior, quod ille ab hostium manibus, hic ab amicorum gladio occubuerit: ille morte honestissima: hic sceleratissima.

Epilogus movet misericordiã.

Obijt enim tam nobilissimus vir, tam augustus & felix Imperator. Repetantur hic plæraq; capita Orationis: Et obijt quidem proh dolor! neq; morbi calamitate aut gladij hostilis vi, sed intra moenia nostra, inter amicorum manus, blandicijs circumseptus interijt. Qui non semel, non decies, sed innumerabilibus modis, in Midianitarum in Philisteorum, in aliorum castra tutus irruperat, hic intra arcem nostram necatus est, quam ille sæpius manu sua ab hostili incursu defendit. Imperator bello clarissimus, pacis tempore occisus est &c.

Laudatio III. Salomonis.

Gratulatur Nathan Præceptor proceribus regni de novo rege.

Exordium ad imitationem Cicer. ad Quirites post reditum. 1. Captat docilitatem, dum orditur à re ipsa. 2. Captat benevolentiam, dum refertur ad pietatem & Deum præsens felicitas.

QUod precati sumus à Deo optimo Maximo, Jllustrissimi proceres, eo tempore, cum primum propter ætatem affectam regis nostri, optime de nobis omnibus meriti, non unum periculi genus imperio nostro immineret: ut si ex nostro privato quorundam commodo & arbitrio ea res gereretur, ut in locum vivi ac superstitis regis Salomon succederet, infeliciter tam audax conatus evaderet: sin hæc inusitata ratio, filij in locum parentis etiam tunc officio fungentis sufficiendi, non tantum sapientissimi regis nostri Davidis voluntate nite-

retur,

retur, ſed etiam divina autoritate & juſſu ſuſcepta eſſet: ac deniq; magno futura ſit Reipubl. noſtræ commodo: ſi eo inquam animo in vos & Rempubl. univerſam fuiſſemus, Deus exoptato aliquo eventu inſtituta noſtra vobis approbari faceret: ejus devotionis noſtræ hodie convictos nos eſſe, veſtris omnium fauſtiſſimis acclamationibus regi novo factis, Dei Optimi Maximi ſummo beneficio: ſummopere lætamur, proceres. Et quanquam vos Reipubl. veſtroq; ſingulorum nomine, ſummo affectos gaudio ſentiamus: tamen ut vel foveamus eam veſtram læticiam, vel majores ejusdem cauſas habere, quam publice notum ſit demonſtremus: quæſo vos, ut patiamini me de regis noſtri privata vita, cui hactenus ex officio præfui, pauca vos monere.

Secunda pars Exercitij, ipſum Encomium.

I. Circumst. Gens. Digressio. Neq; tamen temperare mihi poſſum, quin de gente & origine regis noſtri quædam præmittam, non tam quod conſvetudo ita ferat, ſed quod maxime ad rem præſentem pertinere arbitror.

Nominatio. Eſt ex eadem nobiſcum genere. Poteſt hic deſcribi gens Judæa.

Accommodatio. Illud igitur merito nobis gratulamur, quod ex gente noſtra rex hodie nobis contigit, eoq; certiores ſumus fore ut ſub defenſione hujus regis, divina tutela fruituri ſimus, quod ex divina lege illum creatum novimus. Recitetur hic lex ex Deuteron. 17. v. 15.

2. Circumstant. Maiores. 1. Remoti, Juda ſcil. unde tribus Juda. Dicatur hic de laudibus Judæ, & tribus hujus.

Accommodatio. Non ſunt audiendi, qui negant accedere quicquam commendationis à majorum virtutibus: aut quemadmodum ſanguinem; ita etiam virtutem parentum ſoboli ingenerari.
2. Propiores, ſunt Naemi, Ruth, & Booths. Videatur liber Ruth.

Accommodatio per Inflexionem. Tenuis fortunæ quidem fuerunt iſtæ mulierculæ, ſed piæ. Quare ſi vera nobilitas eſt virtutis paternæ bene longo avorum ordine ſpectata quaſi & perpetuâ hæreditate derivata in poſteros imago ac ſimilitudo: quemadmodum

pie-

pietatis longe maxima præ omnibus alijs virtutibus est excellentia: ita illi merito nobilissimi judicandi sunt, qui in avorum serie multos pios numerare possunt, præ illis, qui aut divites aut potentes, aut milites plurimos suos majores jactitant. 3, MAIORES PROXIMI. Avus sequitur Jesseus, qui septem eduxit filios, eosq; prudentissimos & fortissimos viros.

ACCOMMODATIO 1. ad avum: Non potest homini major felicitas contingere, quam ea optimorum liberorum multitudo, Græci vocant ἐυτεκνίαν. 2. Accommodatio ad Solomonem per similitudinem: Si gemmæ alicui non nihil fulgoris inde addi putatur a vicino auro scilicet, unde etiam auro includi illæ solent: eodem modo credendum omnino est, viris quantumvis optimis ac præstantissimis â cognatis hominibus honestissimis nonnullam splendoris, nominis, ac virtutis lucem adjungi, sive quod horum exemplis in illis, quanquam per se ardentissimum virtutis studium, aliquo tamen modo inflammetur & foveatur: sive quod copiosissimus ille laudum ac gloriæ cumulus, vel revera accessionem aliquam admittat à propinquorum communibus sibi nominum luminibus, vel ex contentione saltem & collatione major appareat.

3. Circumst. PATER DAVID. Describatur prolixe 1. ab educatione vel natura. A primo puero deprehensa est in Davide divina quædam indoles, singularis pietas, fortitudo, prudentia, dexteritas in expediendis negotijs.

ACCOMMODATIO ad laudem Davidis. Ut ex illo pueritiæ flore satis appareret, felicissimos olim universæ Reipubl. fructus ex hoc ingenio edendos olim fore. 2. ab artibus: à peritia jaculandi funda: à peritia rei militaris: à peritia artis Musicæ. Item à peritia Scripturæ Sacræ & revelationum divinarum, quia fuit propheta. 3. à virtutibus: pietate, fortitudine, animi magnitudine, magnificentia, liberalitate, modestia, mansuetudine, justicia &c. 4. à rebus gestis. 1. Secundum pietatem: quod templum voluit ædificare, cum prohiberetur divinitus, magnam summam auri contulit in templi ædificationem. 2. Secundum fortitudinem: bella gessit, Item Goliathum juvenis adhuc Gigantem deiecit. 3. Secundum mansuetudinem: maledicum Simei, à quo multa convitia tulerat, ne verbo quidem lædere

voluit,

voluit, cum capite plectere potuisset. Sic Sauli & filijs, cum quibus capitales inimicitias exercuerat, & qui ipsi non tantum immerenti, Sed etiam optime merito gravissimas injurias attulerant, ita repugnavit, ut tantum vim injustam à se depelleret, nunquam ipse, etiamsi facile & juste potuisset, mutuam inferret. 4. Secundum prudentiam. Huc pertinent stratagemata. Item urbs Hierosolyma ædificata atq; exornata. Item huc pertinet liber psalmorum sacrorum. 5. Quomodo fortunis suis usus fuerit. Hic narretur singularis Dei favor perpetuus erga Davidem, probetur ex mutatione fortunarum, quod ex opilione regem Israëlis fecit: tum perpetuos largitus est successus.

ACCOMMODATIO hujus Circumstantiæ per Correctionem. Dabitis veniam proceres illustres, quod præ digna admiratione plurimorum meritorum optimi regis, longius fortassis à proposito nostro aberravit oratio. Quanquam non ita aliena sunt, quæ diximus à præsenti tempore, quin quam proximè pertinere ad laudes quas instituimus Solomonis nostri, quilibet vestrum videat: Quid enim honestius ac splendidius novo regi nostro esse poterit, quam à quo nos universi summa quæq; beneficia accepimus, cui secundum Deum regni nostri splendorem, à Philisteorum & aliorum hostium servitute liberationem, rerum omnium copiam atq; abundantiam debemus: ab eodem Salomonem nostrum & naturam, ac corpus animumq; regium; & præterea tam amplissimam optimorum erga Remp. meritorum hereditatem unâ cum regno augustissimo accepisse.

4. Circumstantia. Fratres. Primus Absolon prætereatur silentio. Secundus Adonias, qui propter jus majoris ætatis regnum Salomoni præripere sategit, Sed cedere coactus est, (3. Reg. 1.) Fiat Digressio in eam controversiam. 1. Laudetur Adonias, adolescens pius, prudens, modestus, ingeniosus, magni animi, tum major natu præ Solomone. Consuetudine igitur omnium gentium huic parentis imperium debebatur. 2. Ponatur Antithesis vel solutio per Antisyllogismum: Pater dissensit, & Salomonem voluit regem.

Accommodatio. Hæc voluntas debet liberis ita sancta esse, ut regni deponere cupiditatem, imo certam spem, quam resistere paternæ voluntati malint. Per prudentiam enim plus potest prospicere liberis, & de ingenijs eorum melius judicare, quam ipsi. Et cum major

natu filius charior parenti sit, propter plurium annorum usum: aut saltem ambo æque charissimi, tamen quia Salomonem Pater sibi sufficì maluit, etiamsi nulla ejus judicij extaret & perspecta nobis esset ratio, nihilominus ita existimare non nos tantum in honorem regis nostri oportebit, sed quilibet sanæ mentis homo volet non nisi gravissima causa in hanc sententiam adductum esse Regem Sapientissimum. Accedit, quod prophetiæ pollet dono David pater, ut planissime divino instinctu admonitus in hanc de subrogando sibi Salomone mentem descenderit. Itaq; Deus est, qui Adoniam cedere minori fratri voluit, cui pro pietate sua libentissima voluntate obsequendum esse ipse sentiet: Deus est, qui Salomonem parenti successorem nobis clementissime regem esse voluit; cujus eam divinam jussionem & voluntatem fore nobis quam saluberrimam, nemo nostrum est ita à pietate alienus, quin certissime persuasus sit.

Ἐξεργασία. Fiat contentio 1. Consuetudinis & divini mandati: vel ostendatur quanto æquius sit huic quam illi obtemperare. Jtem fiat contentio incommodorum, quæ utrinq; consequuntur, si vel à consuetudine, vel à divino mandato discesserit Adonias.

Accommodatio ad laudes Salomonis. Magnum est indicium animi clementis, quæ præcipua in rege virtus est, ita potentem secum tolerare æmulum, & in tantis oblatis injurijs iræ moderari, quod faciet Salomon, si ille Adonias in posterum à turbis quieverit.

5. Circumstantia. Educatio. 1. Natura vel puerilia studia. Insignis quidam pudor, amor religionis, virtutis studium à primo puero apparuerint in Salomone. Cujus rei verissimum possum testimonium dicere, cum patris voluntate pueritiæ ipsius informator adhibitus fuerim. Unde jam dudum appellare soleo Amabilem Domino. 2. Reg. 12. 25.

Accomm. Copiosissimæ & felicissimæ virtutum messis certa spes ostenditur, si in pueritiæ vere prima segetis herba vel ingenij indoles tanta ubertate se profuderit. 2. artes. In omni liberali disciplina fuit institutus. 3. Reg. 4. v. 31.

Accommodatio. Imperiti illi sunt homines, qui ita judicant, dedecere principem literas, aut saltem officio fungi posse absq; istarum præsidio.

6. CIRCUMSTANTIA. MORES: animi magnitudo, humanitas, clementia, urbanitas, iustitia, pietas &c.

Tertia Pars Comparatio.

Comparetur cum Josua successore Moysis.

Quarta Pars. Conclusio.

1. Per gratulationem ad proceres, quæ repetat circumstantias plerasq;. 2. adhortationem ad Salomonem, ut officium faciat; quæ præscribit modum administrandi imperij. 3. Votum ut Deus adsit huic gubernationi.

Laudatio Susannæ IV.

Dicta â Marito Joachimo pro Testimonio.

Exordium 1. captat docilitatem à summâ dictâ. 2. benevolentiam à significatione modestiæ, fortitudinis in præsenti luctu, pietatis: Quæ virtutes significantur sententijs super præsentem casum.

PArendum est vobis, Judices, ut quod à me postulastis testimonium de vita uxoris meæ anteacta dicam tanquam coram Deo teste; idq; debeo ex authoritate, quam populus Judaicus in vos contulit: neq; adeò invitus facio, cum boni civis sit animo lubentissimo magistratui suo parere, quanquam nescio, annon excusare me poterat luctus hic meus, quem ex gravissima hac familiæ meæ calamitate percipio, ut vix vocem emittere patiatur doloris magnitudo nedum dignum laudatissimè actæ hactenus vitæ testimonium conjugi dicere. Sed vincenda est, &, quanquam hoc vix possibile, supprimenda vulneris acerbitas, donec quod vobis debemus obedientiæ; quod uxori gratitudinis, justè persolvemus. Te itaq; Jehova testem appello, cujus oculos nulla fallere humana calliditas præ cujus vindicem manum nulla perjuria effugere poterunt, te, inquam, testem appello gravissimum, quod nihil hic fingam, nihil admentiar, sed ut certis documentis ipse *I. Exercitij pars.*

perſuaſus ſum, ita omnia proloquar. Nunc igitur Judices ad teſtimonium meum quæſo animum attendite.

II. Exercitij pars.

Circumſtantia prima Gens Iudæa deſcribatur per præteritionem. E. g. Fortasſis hoc non vultis, ut gentis mentionem faciam, noſtræ ſcilicet unde communem nobiſcum originem habet Suſanna, quippe cum vitæ teſtimonium tantum requiratis, Etſi fortasſis ea oratio non parum adjutura noſtram cauſam, & uxoris meæ innocentiam defenſura eſſet, ſcilicet ſi cogitaveritis ex ea gente ortam, ubi hujusmodi ſcelera & ſeverisſimis legibus divinis prohibita, & ipſo uſu etiam in efferis & minus accurata diſciplina inſtitutis hominibus penè inaudita aut ſaltem rarisſima ſunt.

Accommo.

2. Circumſtantia, Patria Deſcribatur per præteritionem. Itaq; etiam patriæ abſtinendum erit mentione: ſcilicet regionis patrum noſtrorum, unde propter varia peccata & ipſorum & noſtra ejecti ſumus: & nunc in iſto exilio vel hoſpitio vivimus Babylonis.

Accommodatio. Ut vel cogitatio ſaltem harum fortunarum noſtrarum etiam efferatisſimum animum ab hujusmodi ſcelerum libidine abſterrere, Iudices verò, quò minus tàm gravi accuſationi facilè aſſentiantur niſi certisſimis & omni dubitatione majoribus argumentis convicti fuerint, cohibere debeant. Ἀιτωλογία. Verum hæc omnia præterunda mihi erunt: ne non teſtis ſed oratoris me functum eſſe officio; & non tam actam uxoris vitam commemoraſſe, quod juſſus ſum, quam crimen impactum diluere voluiſſe, antequam id poſtulemur, quisquam jure criminetur.

3. Circumſt. PARENTES. Sed illud credo nemo repræhendere poterit, ſi parentum mentionem fecero: quos ſanè hic præſentes in judicio videtis, quiq; ipſi libentiſſimè teſtimonium hoc filiæ dicerent, & longè gravius dicturi eſſent, ſi vel vos piè exigere poſſetis, aut ipſos dolor dicere permitteret. Pater eſt Helkias: avus Zacharias; quo ſummo Sacerdote abductus fuit populus Judaicus in captivitatem Babylonicam: Proavus magnus ille Helkias (cujus hiſtoriam licet videre 4. Reg. 22. & 2. Paral. 24.)

Accommodatio. Non inſtitutio ſolum ſed & exempla & ingeneratus ſanguis tàm clariſſimorum parentum ſatis remedij fuit Suſannæ ad cohibendas hujusmodi libidinis ſceleratas flammas. 2. Taceo

quod

quod familiæ decus facile potuit fœminam castissimam in officio continere. Nam quò gravior est jactura existimationis atq; honoris, eò difficilius ad eam faciendam inducuntur homines. Addo quod major constituta est in delinquentes ex hoc ordine pœnæ.

4. Circumst. Cognati sunt 1. Jeremias Propheta, qui item fuit filius Helkiæ Jer. 1. v. 1. Et sic fuit propatruus Susannæ. Et huic frater Eliakim vir maximi nominis, Esaiæ 22. v. 20. Esdras propheta & princeps fuit Patruelis Susannæ. Esdræ 7. v. 1.

Accommodatio. Cum multum exempla moveant & mirabilem quandam habeant vim alliciendi ad virtutem: tum præcipue domestica nobis virtutum specimina mirabili quodam modo honestatem nobis commendant, & à vitiorum turpitudine animos abstrahunt nescio quo cœlesti pudore &c.

5. Circumstant. Educatio tota fingenda est, scilicet ex præceptis philosophorum & prudentum hominum, E. g. fuit domi educata: in pietatis initijs diligenter et accurrate instituta: à pueris fuit amans pietatis, fugitans & horrens quodammodò conspectum virorum: verecundiæ studiosissima & mundicies &c.

Accommodatio. Quemadmodum vitia à prima ætate instillata nullo quantumvis maximo labore iterum extirpantur: ita credendum est virtutum semina tenellæ ætati insita & cum eadem quasi enata ac confirmata non facile eradicari, & vitiorum quandam segetem fœdam inter se suppullulantem admittere.

6. Circumst. ARTES didicit varias puellares, texendi, nendi, pingendi acu, colum exonerandi, his fuit valde delectata: invigilabat in mediam usq; noctem, item summo mane solebat excitare reliquas ancillas magna cum voluptate parentum.

Accommodat. Ocia si tollas periere cupidinis arcus Contemtæq; &c. Item perita erat sacrarum literarum: omnes penè prophetas & singulorum capita è memoria poterat dicere. Tum historias sacras ad unguem noverat. Accommod. Divinæ legis meditatio præsentissimum pharmacum est adversus scelerum tentationes, secundum illud quod dictum est à Propheta Ps. 119. Quo conservabit homo adolescens viam suam Domine si custodierit sermones tuos.

7. Circumst. Mores 1. Universales 1. Pietas 2. Temperantia,

3. Liberalitas erga pauperes 4. modestia vel humilitas.

8. Circumst. Mores proprij vel matronales 1. in gestibus; sermone, vultu, vestitu fuit pudicissima, cultus mediocris, quali utuntur qui ornantur sibi, 2. in re familiari curanda fuit admodum industria & sollicita, tum & prudens.

9. Circumst. Res gestæ singulares item sunt fingendæ. 1. Secundum animum quid fecerit vel ex virtutib. istis dixerit 1. ex pietate: Audiverat in concione aliquando contumaces pueros graviter puniendos fore olim à Deo: domum reversa etiamsi nihil sibi conscia esset, tamen multis lacrymis à parentib. deprecata est, ut si forte imprudens offendisset, ejus delicti veniam sibi per Deum facerent.

Accommodatio per Comparationem. Hoc fecit puella ut à delictis tàm graviter abhorreret: & nunc matrona minus ab ijsdem aliena esset? levia delicta & quæ nulla admiseras, sed ne per imprudentiam admisisset fortè verebatur, tanta animi ægritudine ferebat; & nunc pessima ista atq; inaudita penè in populo nostro scelera ultro in se conciperet. Sic fingantur aliæ quædam res gestæ circa usum pulcritudinis, item dicta, responsa &c.

Conclusio imploret misericordiam Judicum 1. per canos Helkiæ, 2. solitudinem Joachimi, 3. merita majorum Susannæ. 4. Innocentiam vitæ hactenus præstitam. Fiat Apostrophe ad Deum. Prosopopœia ad cælum, Solem, diem &c.

Ultima pa. exercitij.

Laudatio QUINTA.

Lucretiæ Romanæ instituta â Bruto affine in funere.

Exordium captat benevolentiam ab extenuatione sui & rei indignitate.

ETsi turpe est cives Collatini, me & sexu & ætate virum eam animi magnitudinem in Lucretiæ cohonestando funere non afferre, quã ipsa mulier & adolescens admodum in morte appetenda voluntaria, & vita manibus suis eripienda præstitit: tamen & virtutum in hac fœmina recordatio & cogitatio atrocissimi sceleris quo & huic vis facta

& universi Romani nominis libertas labefacta & dejecta est, ita perturbat animum, ut eundem in officio continere difficilimum sentiam. Quod enim de scelere dixi facile scio mecum sentietis si rem penitus cognoveritis ejusmodi esse ipso nomine adeo atrocissimum, ut vel fotissimi cujusq; viri mentem à statu suo dimovere possit. Si prius de virtutibus hujus fœminæ, ut justa illi faciamus pauca præfati fuerimus, breviter illud exponam.

1. Circumstantia patria. 1. Jtalia.

Describatur Accommodatio. Permultum potest ad naturæ informationem telluris nativa quasi quædam indoles. Et hoc observatum est omnibus seculis, omni nationi ac terræ concessa esse, quasi quædam spatia vel æstatem quandam aut virilem ætatem qua maximè floreat insignibus ingenijs & inusitatis quibusdam virtutum exemplis, qualia fuerunt illa Italiæ secula quibus Roma floruit.

2. Patria Roma urbs. Describatur usq; ad tempora Tarquinij septimi Regis. Accommodatio. Patria honesta & legum vincula homines in officio continent, & generosos animos civium suorum prioribus exemplis adsimilia virtutum studia invitant.

3. Circumstantia Maritus Tarquinius Collatinus. Ex Regio sanguine, & cognatus reliquorum Tarquiniorum.

Accommodatio. Quamquam virtus commendatione fortunæ non egeat, fit tamen nescio qvomodo ut externis istis honorum ornamentis longè illustrior appareat. Præsertim fæminis præcipua accedit commendatio, si cum magnis viris copulatæ fuerint, quod eorum judicio ac testimonio comprobata quodammodo fuerit generosa uxorum mens, in quorum sententiâ in privatis & publicis negotijs universa Respublica libenter acquiescit.

4. Circumstantia Educatio: fingatur. 1. Studia puerilia qualem se præbuerit à prima ætate. 2. Artes muliebres. 3. Mores. 4. Res gestæ præcipuè illæ cum Tarquinio & marito, quomodo sponsio facta sit de pudicitia uxorum: & Lucretia laudem Regijs nuribus præripuerit.

Tertia pars Exercitij Comparatio, cum Rhea matre Remi & Romuli. Hæc ex Regio sanguine: Item Lucretia: hæc casta: item

Lucretia: hæc ex imperio patrui sui à conjugio abstinebat. Lucretia Sponte & volens castitatem tuebatur. Hic poterit fieri contentio castitatis in conjugio, & alterius in cælibatu: & illa præferri. Hæc à Marte fuit adamata: Illa â fortissimo viro Tarquinio Collatino. Hæc scelere patrui sui miserrimè perijt. Illa Tarquiniorum nefanda libidine.

Quarta pars Epilogus. Hic narretur factum Tarquinij quod noctu vim fecerit Lucretiæ: 2. Factum Lucretiæ quod injuriarum impatiens se ipsam morte affecerit. 3. Fiat exclamatio & indignatio super indignitate factj. 4. Adhortatio ut cives se duce tyrannidem istam ulciscantur.

Laudatio SEXTA. Samsonis.

Exordium à Modestia. Figura Elocutionis Narratio.

MIlonem Crotoniatam nobilissimi roboris hominem cum insigne fortitudinis specimen edere vellet, in ferendo humeris suis bove per studij spacium, experimentum fecisse ajunt in vitulo, longaq; & quotidiana exercitam me præparasse & confirmasse se pius eodem ferendo vitulo, quam in publico theatro & hominum conspectu bovem jam factum portaret, Idem consulunt, qui de artibus ijs præcipiunt, quæ exercitio comparantur, ut scilicet à levioribus initium faciamus. Quę cum ita se habeant, reprehendere ecquis jure institutum meum videbitur posse? si cognoverit, me in hac dicendorum exercitiorum cathedra tam grave dicendi argumentum elegisse, ut viri omni ætate, omni hominum memoria fortissimi, Samsonis puto, laudes dicerem. Verum si idem ad id etiam animum attenderit, aliud ab oratore pro concione dicente, aliud à tyronibus requiri in his exercitijs, æquior spero judex erit. Jn oratore enim requiritur, ut nihil quod ad rerum magnitudinem pari orationis dignitate exprimendam pertinet, ab ipso prætereatur: In tyronibus autem sufficit si animus exercendi affuerit, quod facultas autem rerum excellentiam non assequatur, facile veniam damus, Itaq, in materia vel argumento diligendo ea his licentia conceditur. Ut quod ipsis maxime arriserit, in eo ingenium experiri liceat.

Circumstantia 1. Parentes, Homines pij Jud. 13. Accommod. Ab hujusmodi vel pijs nasci, major est commendatio, quam â nobilissimis. Certe benedictio quidem divina transit à pijs parentibus in liberos suos: non autem semper à nobilibus & divitibus. &c.

2. Circumstantia Majores. Majores fuerunt tribus Dan. Dan filius Israëlis quintus ex ancilla Gen. 30. v. 6. Vaticinium extat de hac tribu Gen. 49. v. 16. quod præcipuè autoritatis futura sit, & suppeditatura judices populo Israëlitico. Etiam illa legantur hîc verba: Dan coluber in via, & cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat sessor ejus retrò, ideo salutare tuum expecto Domine. Quæ sine omni dubio promittunt insignem quendam liberatorem populi Israëlitici ex hac tribu nascendum. Ipsum ergo Samsonem promittunt. Et simul Christum nostrum qui est salutare Domini, cujus typum gessit Samson.

Accommodatio. Magnum est nasci portentis quibusdam, nativitatis, singularitatem prænunciantibus: Majus si multis annis anteeat illud judicium: maximum si divina inspiratione prophetæ viri cujusdam singularis quasi anteambulones quidam denuncient adventum. Quid dicam, si in unum & eundem hominem hæc omnia contingant?

3. Circumstantia Educatio. 1. Nativitas miraculosa. Nascitur à matre sterili, angelo partum indicante.

Accommodatio. Semper hoc observatum est in historijs sacris, non nisi in heroibus hoc contigisse, & paucis illis quidem, ut nativitas illorum ab Angelo significaretur, & ipsi à sterilibus parentibus ederentur: nempe tribus illis Isaaco, Samsoni, & Johanni Baptistæ.

4. Circumstantia 2. pars Educationis. Mores pueriles. A puero apparuit singularis quædam in Samsone industria, prudentia, animi magnitudo. Scriptura dicit, agitatum ipsum fuisse à spiritu Domini, id est, animadversos in ipso fuisse singulares quosdam motus, inusitata quædam consilia & incepta.

Accommodatio. Quanquam sæpe fit, ut quo magis sera sunt virtutum indicia, eò maturiora & graviora sunt: tamen rarum hoc est, & tutius ita judicamus, nisi in prima ætate spes aliqua præclaræ frugis se ostendat, penè de reliqua vita desperandum esse.

5. Circumſtantia 3. pars Educationis. Mores viriles vel perpetui. 1. fortitudo inuſitata & in audita: & non humana, ſed divina, quam Dominus huic viro conceſſit in liberationem populi.

Accommodatio. Ita debemus judicare, ſi quid divinitus donorum nobis indultum fuerit, non ad noſtram ſuperbiam Deum nobis largitum fuiſſe, ſed ut in publicam ſalutem collocemus.

2. Virtus. Liberalitas. Promtus fuit in largiendo, etiam cum damno aliquo ſuo, ut quæ magno labore comparaſſet, victus uno verbo, largiter alijs communicaret. Conjectura ejus rei capitur ex ſponſione, quam fecerat cum convivis ſuis adoleſcentibus quibusdam, à quibus fraude circumventus, cum jure non tantum nihil ipſis debuiſſet, ſed etiam grandem ſummam ſponſione deperditam, exigere potuiſſet, tamen ne avarus, ne moroſus, aut gravis videretur, ipſe ſponſionem perdidiſſe & Solutionis damnatus eſſe maluit, quam de jure ſuo litigare.

Accommodatio. Egregia eſt liberalitatis excellentia præ reliquis virtutibus inde adeo, quod ſemen quoddam videtur ac radix divinæ illius virtutis, quæ faſtigium quoddam eſt omnium humanarum virtutum, magnitudinis dico in animo, vel μεγαλοψυχίας. Quemadmodum enim avari puſillo & abjecto animo eſſe judicantur: Ita ubi moderata quædam in opum elocatione largitas apparet, rectè ſuſpicari videmur, ſubeſſe animum contemnentem vilium iſtarum rerum, & non niſi magna, atq; à virtute ſummâ profecta admirantem.

3. Urbanitas. Suavis fuit & acutus in excogitandis jocis. Quod ingeniū ſatis probavit in nuptijs, quando logo griphos nexuit convivis ſuis, qui à nemine ſolvi poterant.

Accommodatio. Ariſtoteles dixit, urbanitatem eſſe κίνησιν, id eſt, motionem & agitationem quandam reliquarum virtutum, h. e. ut ego interpretor apicem & cacumen. Quemadmodum enim in ſolidà arbore & annis multis confirmatâ reliquę inferiores partes pondere & gravitate ſua immotæ conſiſtant, ſolum cacumen ventorum agitatione hinc inde impellitur, & iſto concuſſu ſuaves quosdam ſuſurros miſcet: ita à reliquis virtutibus vitam ad ſeveritatem quandam componi cenſeo: urbanitatem autem eſſe ſolam, quæ reliquarum ſubnixa quaſi fundamento, varia ſermonum ſuavitate convictum condiat.

6. Cir-

6. Circumſtantia Actiones & res geſtæ.

1. Secundum pietatem Reveritus eſt parentes. Etiamſi enim Dei inſtinctu agitaretur cum Philiſteam uxorem duceret, tamen hoc honoris parentibus ſuis habuit, ut non ſine horum impetrata venia & conſenſu nuptijs illis implicaretur.

Accommodatio. Etiam Ethnici agnoverunt, & naturæ ea lex eſt, ut liberi parentum conſenſum in nuptijs impetrent. Quare inter Chriſtianos inaudita eſſe debet ea contumacia &impietas, qua parentum autoritas in matrimonijs ineundis negligatur.

2. Factum ex fortitudine, plurima geſſit fortitudinis plusquam humanæ. 1. quando leonem diſcerpſit medium. Narretur hic hiſtoria. 2. Quando mille homines aſini maxillâ occidit. 3. Quando portas effractas ambas humeris ſuis abſtulit. 4. Quando vinculis colligatus. 1. à Judæis deinde ſæpius à meretricula, rupit iſta exiguo conatu. Et demum quando columnas duas, quibus innitebatur templum Philiſtæorum manibus evertit &c.

Accommodatio. Non tantum illuminationes & viſiones, quas plurimas contigiſſe ſcimus Prophetis, admirabilia quædam Spiritus S. opera ſunt. Verum etiam hujusmodi fortia incepta ab Heröibus perpetrata, qualia non tantum in Samſone legimus, verum etiam in fortiſſimis, ut appellantur Davidis regis.

Tertia Pars Exercitij Comparatio.

Comparetur cum Hercule, cauſa eſt, quia eodem tempore vixerunt: ut ſi non plane idem eſt Hercules cum Samſone, tamen ex famâ Simſonis celeberrimâ multa ad Herculem ſuum transmoverint Ethnici ſcriptores. Hercules per miraculum natus, & ex Jove, ut ajunt. Pleraq; tamen quæ de nativitate ejus dicuntur, pleniſſima fabularum ſunt. Quamquam hoc à vero non abhorret, non ſine ſingulari quadam ac divina virtute & beneficio, tanti animi virum, & qui tam optime de orbe univerſo meritus ſit, latrocinijs extirpandis extitiſſe ac natum eſſe. De Samſonis autem nativitate miraculoſâ, certa res eſt, & graviſſimâ ſcripturarum auctoritate prodita. Unde quantum â nativitatis ſingularitate laudis adjungitur, tantum optimo Iure Herculi

Samſon noſter præfertur. 2. Hercules multa monſtra domuit, quod ſignificatur Poetarum fabulis de Hydra, æripide, cervo, apro erymanthio, Leone Nemeæo &c. Voluerunt autem hoc dicere, latrocinia instructa multa calliditate & potentia fuiſſe tamen diſturbata ab Herculè: Simſon Philiſteorum injuſtas ſervitutes excuſſit à cervice Judæorum: idololatriam eorundem ſubvertit. 3. Hercules omphalæ ſervivit & Euryſtheo iniquiſſimo homini: Simſon ſervivit meretriculis. 4. Hercules creditur in Deorum evectus numerum: ſed fabuloſè: Simſon certiſſime in cætum beatorum ſuſceptus eſt.

Quarta pars Epilogus. Primum habeat repetitionem dictorum. 2. Excuſationem quod pauca dicta ſint pro rerum multitudine.

Laudatio VII.

Chriſti, ex nativitate.

Exordium, à modeſtia per extenuationem noſtri.

I. pars. SOlent qui laudes clariſſimorum virorum dicunt in principio orationis extenuare facultatem ſuam, & veniam, ab auditoribus precari ſi fortè re rum magnitudini non reſpondeat par orationis apparatus. Ea conſuetudo etiamſi à me non tantum non improbetur: verum etiam videatur quam honeſtiſſima, tamen in præſenti oratione non obſervabitur: Non quod argumenti, quod tractaturus ſum non ſit ſumma dignitas. Dicam enim de principe, imò rege, atq; adeò omnium regum rege, & dominantium domino, Jeſu Salvatore noſtro, ad cujus nomen omnium terreſtrium, infernorum & cœleſtium genua incurvantur. Quanquam non omnia, quæ ad laudes hujus regis ſpectant, oratione percurrere inſtitutum nunc eſt, ſed de nativitate ſaltem quædam perſtringam. Quid igitur eſt, quod dicebam orationis ſplendorem expectandum à me nullum eſſe? tum verò imprimis cauſam iſtius neglecti nullam me afferre velle? primò, quod ipſa argumenti ratio videtur me ſatis apud vos purgare: cujus cum tanta excellentia ſit, ut ne angelicæ quidem linguæ enarrare, nedum ornatum aliquem addere valeant, ſanè ineptus videretur mea quidem ſententia, qui hoc ratione quacunq; conaretur. Deinde altera ac præcipua cauſa ea eſt, quod

quod salvatori nostro in cujus honorem hæc meditamur, ea gratissima sit omnium oratio, quæ simplicissima est, ut loquimur, sive ex ipsis cordis sensibus intimis sine, linguæ externis istis condimentis profecta.

2 pars. laudatio.

Itaq; ut ad rem veniamus natus est Christus Salvator noster Augusto imperatore Romano, qui templum Jani clauserat eo tempore, in signum, bella sub Romano i. e. universi orbis imperio, undiq; conquievisse.

1. Circumst. tempus cõmune sive annus.

Christus princeps pacis est: quod quidem ex manifestis scripturæ testimonijs certum fit, tum ipsis rerum eventibus, cum etiam hinc ex nativitatis tempore comprobatur.

Accomm.

Natus est noctu.

Sol Justiciæ est Christus: Itaq; quemadmodum Sol in tenebris oritur, ut has expellat, & lucem inferat, ita Christus noctu nasci voluit, ut unicum Solem se esse eo signo ostenderet.

2. tempus propius. Accomm.

Natus est Christus, quo tempore dignitas regia à populo Judaico translata erat ad Romanos.

3. tempus commune item. Accomm.

Christus igitur est Messias vel mundi Salvator, quia ita prædictum fuerat à patriarcha Jacobo isto tempore nascendum fore Siloh sive salvatorem, quo regnum ad peregrinos translatum esset.

In Judæa natus est. Describi hic poterit Judæa.

2. Circumst. locus. 1. cõmunis. Accomm.

Judææ regionis felicitas propter hunc puerum olim nascendum concessa fuit: si enim reges, cunas eas, quibus sui infantes suscipiuntur, non floribus tantum, sed preciosissimis stragulis insternunt, annon conveniebat, ut Deus filio suo unico & charissimo natalem locum quàm splendidissimè exornatum redderet?

Urbs Bethlehem. Describatur.

2. locus propior.

Fuit eadem patria Davidis, & celebrata à prophetis, quod Messias olim indè oriundus esset.

Eò minus dubitandum est, quin Christus Messias sit, i. e. totius mundi salvator Deus noster & redemtor noster, quod etiam hoc scilicet signum convenit.

Accomm.

In stabulo fuit natus: inter pecora; in fœnum & præsepe expositus.

3. locus proximus.

Quanquam in communi hominum societate ita fit: ut quò quisq; nascitur fortuna ampliori, eò beatior prædicetur: tamen in di-

Accom. per inflexionẽ.

vinis rebus, & in regno Dei, ut vocamus, longè secius judicandum est, quippe cum respicientibus ad veram alterius seculi gloriam, quicquid est hujus mundi rerum preciosissimarum, sordes & nugæ meræ sint. Undè dulcissimus Salvator noster, ut hoc discrimen, quod nobis maximum videtur, inter res quas appellamus preciosissimas, aurum dico, gemmas. Sindonem, & vilissimas, stramineas intelligo cunas, imò nuditatem, frigoris perpessionem; ut hoc discrimen nullum esse doceret, & persuaderet, suo etiam exemplo præmonstrare voluit.

3. Circumst. Causæ. 1. efficiens naturalis.

Virgo peperit Christum: unde ἀπάτωρ dicitur Ebræ. 7.

Ex virgine nasci est sine peccato esse; qui enim nascuntur communi hominum more, in peccatis concipiuntur Psalm. 51. Christus autem Sanctus nasci debuit, ut ipse innocens patiendo nos sanctificaret.

2. causa supernaturalis.

Spiritus Sanctus: intellige de extraordinariâ & sancta operatione. Dicatur hic de duobus generibus operationum divinarum universali & speciali. Etiam omnium hominum nativitatem procurat Deus, & sic etiam Spiritus Sanctus: sed mediante naturâ sive insita facultate rebus creatis. Verum hæc nativitas speciali quadam, atq; adeò inusitatâ divinâ opera contigit: qua hoc scilicet effectum est, ut Deus ipse infans nasceretur.

Accomm.

O admirandum mysterium & ineffabile pietatis Sacramentum: Admiramur tanquam ingens divinæ omnipotentiæ opus, quod homo ex homine nasci, quod immortalis anima ex parentum concipi sanguine & in hanc lucem prodire possit. Neq; adeô ullus repertus est, qui rationem excogitare valuerit, ut pleriq; negare indè ausi fuerint, fieri posse, ut ex parentibus anima generetur, quod scilicet modum ejus rei ullum explicare non sit in promtu. Quid igitur de tanto dicemus mysterio: quod Deus ipse qui nativitatis nullum novit principium, tamen in humana membra concrescere & homo nasci voluerit?

3. causa finalis ex parte Dei.

Ut Deus amorem suum testaretur erga humanum genus. Deus pater quidem dum filium nobis largitur. Deus filius autem dum pro nobis homo nascitur. Deus Spiritus Sanctus demum, dum admirabilem hanc nativitatem operatur.

Accomm.

O nos beatos, qui tantoperè à regum rege adamamur! Addatur simile de homine pauperculo ab amplissimo quodam rege amato.

4. finalis causa ex parte nostra

Natus est Christus filius hominis, ut nos nasceremur Filij Dei.

Ille per Spiritum Sanctum natus est hominis filius ex matre Maria virgine: nos per Spiritum Sanctum ex aqua baptismi, & incorruptibili verbi semine filij Dei renascimur. Ille natus est ad nostram pro nobis portandam ignominiam: nos nascimur ad participandam illius cum ipso gloriam. Ille natus est nudus, ut nos coronaremur. Ille natus est pauperculus, ut nos divitijs cœlestibus circumflueremus. Demum ille natus est nostrorum reatuum, miseriarum & calamitatum socius: ut nos ipsius beatitudinis, regnorum cœlestium & principatuum, cohæredes existeremus.

4 Circumst. Personæ. 1. principalis.

Christus est Deus.

Contendantur contraria e. g. Deus sine principio, capit principium dum nascitur. Deus infinitus parvo infantis corpusculo includitur: qui alit omnia, alitur exiguo materno lacte. &c.

Accomm. per amplificationẽ fiat.

2. causæ accidentales.

1. Joseph. 2. Pastores. 3. Magi exoriente. 4. Herodes. 5. Angeli. Singulæ possunt describi & addi. Accommodatio ad laudem Christi.

5. Circumst. Res Gesta.

1. Antecedentia vaticinia prophetarum. 2. Expectatio patriarcharum. 3. Census ab Augusto imperatus. 4. Profectio & iter Mariæ cum Josepho sponso. 2. Medium. 1. Anteced. partus in solitudine. 2. apparitio angelorum. 3. eorundem congratulatio & hymnus. 3. Consequentia: fuga & exilium &c.

6. Circumst. Modus sive circumstãtia emphatica.

1. Paupercula mater, & juvencula, & peregrè absens: & sola: & noctu: & in stabulo: & ab itinere defessa: & Deum pariens, &c.

3. pars. Cõparatio.

Comparetur cum mundi creatione. In hac item aderat Spiritus Domini, & ferebatur super aquas, Gen. 1. Idem etiam Christi nativitatem superadumbrabat: verum illa operatione communi omnibus creaturis totus mundus, etiam res vilissimæ quæq; extiterunt, hac peculiari actione, & quam angelus Gabriel satis efferre non poterat, solus Christus noster prognatus est. 2. Mundus ex nihilo conditus iterum in nihilum resolvetur: hac verò Christi nativitate ex Deo & humano sanguine unus Christus factus, qui nunquam dissolvetur. 3. Mundus natus est, ut sub Christi pedibus substernatur: Christus in lucem editus ut universæ creaturæ dominus omnibus dominetur.

4. pars. Cõclusio.

Instituantur preces ad Christum, ut nativitatem ejus firmâ fide appre-

apprehendamus per gratiam Spiritus Sancti & in salutem nostram convertamus.

SYLVULA LAVDATIONVM breviuscularum, Epigrammatum puta nuptialium.

DE Samsone Scriptura commemorat Jud. 14. v. 1. quod cives in Themnata dederint ei in Nuptijs sodales triginta, qui essent cum eo. Fingemus à singulis scriptum aliquod Epithalamion vel nuptiale carmen breviusculum, & ea occasione varias præscribemus hujus generis formulas ex præceptis nostris.

I. Exordium.

PRIMUS LAUDABIT GENTEM. Exordium 1. à doci-
litate. Figura elocutionis, Prosopopæia. Alloquitur fides suas, ut dul-
ce modulentur carmen viro nobili & hujus nuptijs. 2. à modestia,
Excusat tenuitatem, e. g. Hactenus assuetæ estis tantùm canere sylvas,
amores pastorum, lasciviam satyrorum, & lusus Nympharum, nunc
grandius surgit opus. II. Ipsa laus, 1. Accommodatio prior, vel con-
clusio per Apostrophen ad sponsam. Gaude Nympha conjuncta viro o-
mniū optimo & nobilissimo, Gaudete parentes. Gaude terra philistæa.
2. Descriptio 1. per occupationem, Gens Judæorum sub servitute po-
sita videtur minus nobilis esse, at est nobilissima. Dei sui quadam of-
fensâ contigit hæc calamitas. Sic ego sæpè vidi palmam viridem non
deperdere vires, quod magno onere premeretur sed vehementius &
majori nisu brachia protendere. Sic vidi ornum & quercum prædu-
ram altis in montibus concussam ventorum vi & immiti flatu firmius
plantas figere, & ad tartara ima tendere radicibus, 2. Ipsa laus, Partes,
1. est fortissima gens Israelitica, ut vix ulla extet æquê nobilis à factis
insignibus, 2. est pia & habet faventem Deum, Numen ipsum vivum
cum hac gente collocutum est, & leges posuit, & certo jure docuit vi-
vere. 3. est felicissima gens, quia Deus terram peregrinam Cananita-
rum possidendam dedit, sine ipsorum ope, olim à patribus nostris in-
cultam. Altera Accommodatio vel major propositio, Maxima est
laus ortum esse â præclara gente. Sic ego sæpè vidi cedrum nobilem

aut æſculum aut aliam præclaram ſtirpem ſub matris umbra ſuppullulantem diligenti cura aſſervari ab hortulano, cum reliqua infrugifera turba capellis arrodenda relinqueretur, aut curva reſecta falce ſub hyeme & immani Borea frigus depelleret & ſuavem calorem aſſidentibus præberet.

III. Comparatio. O felix conjugium par, non enim poteras Sponſa cum viro digniore conjuncta eſſe, non ſi ipſe Hercules te ducere voluiſſet famâ celeberrimus, Incerto enim Patre natus eſt, quamvis fortiſſimus vir, quia enim mater per pudorem, Parentem verum, judicare non poterat, ex Iove concepiſſe ſe ajebat, Verum non congrediuntur cum hominibus & mortalib. uxoribus Dij Immortales; nec nuptias curant.

IIII. Concluſio per præciſionem. Sed deſinite nugarum fidei meæ, Eſt enim etiam alijs melioribus relinquendus canendi locus.

Secundus laudat Sponſum à Patria.

Exordium à Comparatione.

LAudet alius & miretur colles Idumæos: aut Moabitidis terræ arva pinguia: aut Chaldæum late populis imperitantem. Mihi non tam vetus Sodomorum regio videtur digna, quæ laudibus celebretur: quamvis paradiſus domini prædicata ſit: quam Iſraëlitica tellus. Vix enim illa huic certaverit fertilitate: virorum autem fortibus factis longe cedit: Nam iſtis deſidiæ cordi erant, quæ etiam tandem perdiderunt.

Secunda pars carminis, deſcriptio.

Salve cœlo gratiſſima tellus. Credo illo ſeculo quo è terris fugata eſt deorum immortalium turba, horum ſcelere ultima hic reliquiſſe benignitatis ſuæ veſtigia, ita arbos bis fertilis; fruges, armenta, greges & reliqua cura coloni omnia læta atq; uberrima. Non ſpe inani agricolam lactat ager, horrea meſſibus rumpuntur grandibus, dolia multo Baccho Lactis oleæq; & mellis copia ſudantur duris quercubus: atq; adeo ipſi agri horum fundunt flumina. Tum adeo fortes

viri hic extiterunt, ut ulla regio unquam pares tulerit, & quidem tanto numero, quem non est facile numerare: quot scilicet Orion nimbosus guttas depluit honestum caput cinctus noctifera nube, aut Eurus violentior ubi mari incubuit quot fluctus ad littora urget. Credo ego plane (& ut ô non fallar) Deos immortales hæc reliquisse testimonia in regione Israëlitide sui ad nos aliquando reditus.

3. pars accõmodatio ad ipsum sponsum.

Et quis te scit Samson fortissime an non præmiserint Dij te nunciũ? Certe enim animus maximus non præfert hominem nec vox sonat hominem; O Deus certe, es sive Maiæ filius Deorum communis interpres, sive intonsus Apollo semper Iuvenis quem nulla ætas, virum aut senem faciet. Sive potius Mars fulmineus in armis terrificis. Quisquis es sis felix & fave populo nostro, qui cum per nuptias te conjungere voluisti. Fave etiam rudi nostræ Thaliæ. Si enim nulla carmina nisi te digna canenda forent, nulla carmina tibi canenda forent.

Conclusio.

Tertius laudat Samsonem à majoribus.

Figura elocutionis Prosopopæia Introducitur mortuus loquens.

1. Παρασκευὴ vel ἐμψύχωσις.

NOx erat, (describatur poëtice) Visus mihi constitisse ante lectum (mirabile dictu) vir quidam bifrons Ianus scilicet, Ego totus exhorrui, Sed manu mulcebat mihi caput: & pectus dulci alloquio. Pone, inquit, metus, non enim veni ut tibi terrori sim, sed ut rerum occultarum scientia & noticia pectus expleam.

2. pars ipsa narratio.

Nuptiæ illæ quas nosti inter Samsonem & gentilem tuam non sunt sine mente & numine divum. Una enim olim fuit gens Philistæa & Abrahmidum, una deinceps erit. Una olim eratis familia me communi parente, Noacum vocant Isacidæ: vos Ianum. Quando diluvio perijt mundus propter scelera & Lycaonis præcipuè feritatem. Ego docui pinos & abietes altis montibus cæsas æquore inambulare hactenus impervio humanis vestigijs: navem scilicet ædificavi primus qui me & conjugem servabam ab aquis omnia perdentibus. Miserrima ea erat terræ facies ubi vidisses arboribus inhærere turpes phocas; damas & cervos, & frustra dentibus infrendentem aprum ex sylvarum

latebris invastum mare avehi. Unâ vos alebam domo natos meos; scilicet, Semum, Iaphetum & Camum. Ex hoc tuus est populus: ex Semo Israelitæ dilectum Iovæ Genus. Sed præ multitudine in diversas oras habitare ivistis, nunc vix inde vos communem hanc originem nostis. Verum vide quid scire te velit magnus rerum arbiter Iova: scilicet ut nunc his nuptijs tanti principis inter vos iterum fœdera coëtais & unus populus sitis.

Sic Luna unus orbis sane, discedit tamen aliquando in disiuncta cornua: sed Phœbi fratris illustrantibus radijs iterum partes copulantur. Plura videbatur dicturus esse Ianus, sed me terrebat insoliti viri novi forma & dulcem excutiebat è pectore soporem. Gaude igitur. Patria nostra hoc augurio: tuq; ô Sponse & Nympha sponsa per quos felicissimæ hujus conjunctionis fausta facta initia sunt.

2. Compar.

Conclusio per prætentionem narrationis & accõmodatio.

Quartus laudat Samsonem à parentibus.

Exordium à comparatione. Figura elocutionis prosopopæia.

QUem virum recinet aut heroem lyra mea, nunc fortem. Nimrodum qui primus manus colonorum assuetas feris leonibus agitandis aut ceruis fugacibus docuit crudelia tractare arma: nimirum ut prædonum audaciam longius progressam, & inanes legum minas contemnentem terreret gladij fulmine. An vero celeberrimum pulchrâ conjuge Nilum? atq; adeò felicem, si sapiens fuisset. Quia vero stultus erat, à conjuge deceptus blanditijs huic sceptra imperij dedit regenda per triduum. Sed quæ nunquam reddita sunt. Ipsa enim vecordem Regem vita privavit: & habitum virilem induta multis armis pro Rege gessit se.

Num vero Herculem? claris factis nobilissimum: tum generis superbum splendore: ab ipso Iove ortum enim se jactitat.

An eximium sponsum? in quem omnia bona contulit fortuna & Iupiter æquus. Etenim & forti creavit pectore ut credas robur & triplex æs circum pectus posuisse: tum pulcherrima beavit conjuge quem multæ Philystæorum matres sibi nurum exoptaverunt. *2. Descript.*

Tandem ex optimis parentibus nasci voluit: vir enim in tota

regione Patria sua fama celeberrimus Manoës. Quo non justior alter
3. Accomm. facile inventus fuit pietate aut bello & armis major. Felices illi prædicantur homines quibus hæc singula contingunt ut famam pulchris factis extendant: vel pulchra beantur conjuge, vel majorum laudem, & dignitatem generis nullo suo labore partam, sed relictam, quanquam non indigni avorum, possideant. Quid autem dicemus de te
4. Conclusio Samson heros cui uni hæc omnia evenerunt; Vive, tuiq; similes natos & fortes & nobiles & felices suscipe.

Quintus laudat Nativitatem.

Exordium ab accommodatione.

QUemadmodum communi hominum ordine majores animos gerunt heroës: ita etiam videas sæpè prodigia quædam singularia concessa esse ijsdem in nativitate, ut prænuncia sint egregiæ in ipsis virtutis.

2. Pars Comparatio.

Ita Hercules generatus est â Jove tribus noctibus. Nam tanto tempore nusquam commotum est cœlum. Solis equi astiterunt ociosi dulci pasti Ambrosia ad præsepe. Luna vero pervigil excubabat: quanquam indignata moram & defessa, tamen obsequi cogebatur Jovis imperijs, quibus nemo potest resistere. Mortales cæperant desperare de luce reditura: quod Phœbum offensum putarent hominum sceleribus, quæ oculo omniscio lustrat, abjurasse reditum. Aliqui etiam largius se invitasse in quodam Deorum convivio suspicabantur: Et sic ad potum probè ultra consuetudinem dormire.

3. Pars, Descriptio.

Majus est, quod in Samsonis contigit natalibus, uterq; parens sterilis frustra dudum sollicitaverat Iunonem & Dianam, & reliquos Deos ac Deas, quæ opem ferunt parientibus: nulli exaudita vota, ac preces. Tandem, mirabile dictu, subita lux apparuit matri: qualis solet videri sub nimboso Orione, cum multis diebus nox aut tenebræ honestam Phœbi faciem occuluerunt: Atqui ille acribus radijs tenuem aliquam nubem forte perrumpens, miseris mortalibus lumen red-

dit

dit amicum. Omnes gratantur sibi, non homines tantum, sed garrulæ etiam in arborum folijs aves, læto inter se garritu strepitant.

Non alia erat facies lucis illius cœlestis subito effulgentis. Unà autem aderat inusitata quædam pulcherrimi viri forma: quæ nunciavit de partu, matri quæ paritura esset hunc Samsonem filium. Et multa addidit de fortissimis factis: sed quæ huc addere temporis spacijs iniquis prohibemur. Idem Dei immortalis interpres sine dubio ipse Divorum aliquis etiam patri Samsonis eadem retulit, sed alio tempore. Narretur reliqua historia.

4. Pars, Conclusio.

Gaude sponsa, tibi enim tuoq; populo tam mira contigit hæc nativitas, tuus enim est tam fortis heros, qui te plus oculis suis amat. Amate & redamate inter vos ordine perpetuo, ut nec principium habuisse amor vester sentiatis, nec finem unquam experiatur.

Reliqua ipse, cui placet fingito ad horum exemplum.

EXEMPLA VITVPERATIonum. Vituperatur Absolon.

Exordium captat benevolentiam & docilitatem; dicitur summa: & redditur ratio methodi. Figura elocutionis est occupatio.

QUanquam ita comparatum est, itaq; in more positum auditores: ut qui vel laudes alicujus hominis dicturi sunt, vel accusationem ejusdem suscipiunt, quæ ratione quacunq; ad institutum suum pertrahi possint ea adducant: Magis ut quantum ingenio valeant ostendant, quam quod ea quæ ita producta sunt quicquam ad rem pertineant: Cum ijsdem moribus & eadem hac consuetudine in Absolomo vituperando & commode uti possem, ut eo amplior esset oratio: & sine cujusdam reprehensione, cum vulgo liceat: tamen peregrinis illis & longius accersitis accusationibus planè abstinebo. Non quod eorum sententiam, improbem qui fortassis aliter sentiunt, & qui facultate hac

oratoribus concessa libenter utuntur: verum quod eorum criminum quæ patent ac cuivis in promptu sunt, ea sit atrocitas, ut in his enarrandis saltem non pro merito exaugendis satis, prolixa requiratur oratoris occupatio. Ut reliquis artificiosa oratoris interpretatione in criminationem Absolomi detorquendis non relinquatur spatium.

I. Circumst. Origo.

Ratione materni sanguinis est ex Syris oriundus Absolon. Matrem enim habuit Maacham, filiam Talmai regis Gessur in Syria.

Descriptio. Hæc gens aliena â Dei cultu, ut & reliqui sub sole habitantes mortales.

Unde frequentia audiuntur inter eos crudelitatis, in humanitatis, atq; omnis impietatis, apud nos quidem inaudita, exempla.

Accommodatio. Fit autem nescio quomodo, ut nativa quædam majorum indoles præsertim morum barbaries â parentibus & ijs unde originem ducimus in sobolem suam dimanet. Unde non tantum propter religionis evitanda contagia, sed ne Israëlitici sanguinis nobilitas contaminaretur, videtur divinitus prohibitum esse, ne matrimonium cum Ethnicis iniremus. Quemadmodum enim plantæ & quidem optimæ ut ita dicam indolis, si in solo sterili & uliginoso aut alias fætido radices agat; & nativam amittit virtutem & succos ac saporem gravem ac nocentem quendam contrahit. Ita credendum est fieri in matrimonijs cum nationibus barbaris scilicet, ut ex ista nationis peregrinæ communitate morum â pietate alienorum contagio quædam liberis nostris affricetur.

II. Circumstantia.

Natura vel pueritiæ studia. A primo puero apparuit in Absolomo vafrities quædam: omnia agere callidè & nequiter: delectari injurijs: Interim perprobum, se simulare, orationem & vultum fingere modestissimum. Fratres omnibus lædebat modis: sed si id sperabat fore clàm & si ex insidijs nocere poterat. Ipse ultro accusabat apud præceptorem aut patrem, si delatum iri se metueret.

Accommodatio. Ut jam tunc possis ingenium noscere, plenum ambitionis, fraudibus & dolis exercendis natum. Plerumq; enim ex tenella ista ætate quemadmodum ex arborum floribus homo paulò pru-

prudentior facile coniecturam facit qui ex reliqua vita fructus sperandi sint.

III. Circumstantia. Artes. Descriptio.

Literarum fuit amans, tum res militaris pater accurate institui in utroq́, genere curavit, quod & solertis naturæ animadverteret & præclara discendi ea cupiditate trahi videret.

Accommodatio Per inflexionem. ô utinam nunquam literas attigisset Absolomius, aut arma tractare non didicisset! Fieret enim magno & ipsius & reipub: commodo.

Nunc quia liberalis ista rerum optimarum cognitio in pessimam mentem, incidit: Quid aliud contigisse dicemus, quam saluberrimas res & in reipubl: defensionem ac ornamentum institutas in ejusdem, nostrorum omnium, suiq́, adeò ipsius, pestem ac pernitiem conversas esse? Quo enim univicujusq; rei usus est salubrior, eò majus detrimentum gravioremq; calamitatem humani generis importare atq; adjungere solet, si in quorum potestate eæ res sunt illorum ad malitiam animus se applicaverit.

IIII. Circumstantia.

Leges SIVE mores. 1. Fuit audax. 2. superbus 3. callidæ & simulatæ blanditiei 4. Injustus, impius, & contemtor religionis.

V. Circumstantia res Gestæ.

1. Secundum impietatem; fratrem Ammonem occidit, ex 2. Reg. Cap. 13. 2. Patrem ê regno pepulit armis. Iterum secundum audaciam, bellum molitus est privatus adversus Regem, juvenis adversus senem: bellorum imperitus adversus imperatorem veteranum & quidem injustissimo scelere adversus justam causam. 3. Secundum iracundiã Ioabi agros incendit amici & deprecatoris: cũ accedendi moram fecisset. 4. Secundum injustitiam. Criminatus est regem apud populum, Rempub: invasit per tyrannidem.

VI. Circumstantia. Fortunæ.

1. Biennij exilium sed quo non evasit melior. 2. Mors contumeliosissima, quâ, capite transfixo arboris, ramo suspensus est.

Tertia Pars Exercitij Comparatio.

Comparetur cum Caino.

Quarta Pars Conclusio.

Habeat 1. repetitionem 2. dehortationem ab impietate.

Vituperatio II. Herculis.

Exordium captat benevolentiam. Figura Rhetor: Occupatio.

ETsi invidiæ plærumq; tribuitur, aut inani garrulitati, aut temerariæ maledicentiæ? si in eos Orationem inveharis qui publico quasi omnium suffragio commendantur, tamen eum à cirminum horum liberandum suspicione censeam, qui Herculis vituperationem instituerit. Et hæc mea sententia, adeò justa, adeoq; æquissima mihi visa est, ut ego ipse eam vituperationem susceptaverim. Quid igitur est? dicetis, quo à tam gravi criminum suspitione alienum te esse defendas? Dicam: quæ non tam ex prudentum sententiâ, non ex historicorum relatis, non ex Philosophorum decretis, sed poëtarum fabulis, tantas, tamq; immensas laudes attributas animadvertam. Deinde qui ultra veritatis fines progressos esse Herculis prædicatores & Idolum hoc ac monstrum hominis, non ad cœlum, (quod ajunt) sed in cœlum ac Dei sedem extulisse appareat. Quod etiam in homine mortali fieri pietatis ratio non permittit, & in homine, (ferè dixissem belua) impurissimo, dæmone immanissimo, quod demonstraturus jam sum, attentari omnino feerndum non est. Quid? quæ ijsdem qui laudum Herculis authores, criminum est contra Herculem & seipsos testes producentur? Quare si quid benè, si fortiter, si justè, si alijs modis honestè quippiam ab Hercule perpetratum est, absit à nobis ea maledicendi libido, ut in his veræ hujus laudi quicquam detractum velimus; ea lege tu, ut quæ impure, quæ crudeliter, quæ per injuriam, ac fraudes, quæq; omnino nequiter & improbè ab eodem commissa sunt, ne eorum reprehendorum libertas nobis adimatur. (Parentes) Fuit ex adulterio natus corrupta apud Thebanos principe quadam fœmina Alcumena, nescio à quo mæcho. Cum enim huj9 vir Amphitryo adversus Thelebo-

as hostes in expeditionem abesset Imperator missus à suis civibus, reliquit domi Adolescentulam Alcumenam, quæ ex nobilissima apud Thebanos orta familia, in delitijs educata, convivijs assueta, & nimis familiari cujusdam adulteri consuetudine delectata, viro absente, ex alieno conceperat. Cum eam rem Amphitryo domum reversus, indigne ferret, à cognatis territus, vitium uxori oblatum clam habere coactus est. Obtectum etiam est fraudibus illis fictum Religionis nomen: Jovem scilicet divum atq; hominum patrem sumta Amphitryonis specie ad Alcumenam ventitasse, ex hoc conjugio eam gravidam esse. Præterea cœcus quidam Tiresias, qui de arcanis consulebatur, fortasse pecunia corruptus idem respondebat, scilicet è Jove concepisse Alcumenam. Sive potius Tiresias voluit illudere illi simplicitati, ut verè quidem responderet, sed minus rectè intelligeretur. Ex Jove n. natum esse erat istis temporibus spurium esse, ita n. obtinuerat consuetudo, ut principum filiæ furtivos partus suos, semper ad Iovem, Mercurium, Apollinem & aliquem alium Deorum referrent, ut inani isto, quem ab authoribus stupri comminabantur vindictæ metu, non tantum infamiæ periculum declinarent sed etiam præ reliquis homuncionibus Deo perquam charæ crederentur. Confirmavit vero stultam credulitatem, mirabilis quędam fortunæ ratio, quæ eos plærumq; consequitur, qui ex illegitimo concubitu pronascuntur, nempe ut rerum successibus, opum affluentia, bonorum satietate ex sententia perfruantur. (EDUCATIO) Cum igitur adolevisset Hercules & præceptoribus traderetur, statim animadversa est naturæ tanta ferocitas, quæ non nisi singulari & multorum quidem industria compesci posset. Commissus igitur est multis præceptoribus quos Theocritus his commemorat versiculis plærosq;, sunt n. etiam alij, quorum non meminit Theocritus.

Hunc Linus edocuit sapientum scripta virorum,
Pervigil, & claro Phœbi de semine natus.
Flectere at arte arcus, emittere & arte sagittas,
Edocuit dives patrijs hunc Eurytus agris
Eumolpus vocem formavit finxit & idem
At Citharam digitosq, rudes, dextramq; tremendam,
Sed quæcunq; fuit membrorum ars apta palestræ

Quæ foret ars pugilum, & gravibus decernere loris
Hæc à mercurij doctus de ſanguine creto
Harpalico Phanopesq́;.

Inprimis autem in Lino inſignis fuit eruditio ſingularisq́; fides, quâ huic inſtitutioni præfuit, verum ab ingratiſſimo diſcipulo præmium retulit iniquiſſimum. Nam cum Cithara cantaret Hercules, digitiq́; aberraſſent, atq́; abſonum quoddam cantaret, admonebatur à præceptore Lino. Sed contemtor artis & admonitionis & præceptoris non correxit errorem, itaq́; Linus gravius commotus, primum convitij, deinde etiam manus verbere invectus eſt in diſcipulum. Ea tandem indigna viſa fuit Herculi injuria, itaq́, arreptâ Cythara tanta vehementia tempora Lini conqvaſſavit, ut mortuus concideret.

(Accommodatio) Magna eſt impietas adverſus præceptorem ingratum exiſtere: ſunt enim quaſi alteri parentes præceptores fideles. Quemadmodum enim à parentibus noſtris ſecundum Deum corpus accipimus & naturam informem; Ita à præceptoribus noſtris mens noſtra quodammodo & animus ingeneratur vel expolitur ſaltem. Si igitur execrandæ impietatis eſt, immemorem beneficiorum, quæ à parentibus acceperis præbere te: quanto majoris ſceleris erit, beneficia à præceptoribus accepta nihili æſtimare? Et huius tanti ſceleris reus fuiſſet Hercules, ſi parum gratus ſaltem adverſus Linum fuiſſet quid nunc dicemus, cum eundem immaniſſimo parricidio ſuſtulerit?

Artes & Peritia. Artes in Hercule nullæ fuerunt, inſtitutus quidem fuit in rebus multis, ut arte Muſica, Paleſtrica, jaculandi, in literis: Sed in nulla harum profectus aliquos fecit, quia nullum unquam laudabile artium harum ſpecimen edidiſſe legitur. Didiciſſe fideliter artes emollit mores, nec ſinit eſſe feros. At in Hercule fuit maxima morum feritas, quare nullus in artibus liberalibus progreſſus fuit. Sed literæ & artes ſunt quædam excultio animorum. Ut enim agri, etiam fertiliſſimi ſine labore cultoris nihil proferunt frugum bonarum. Imò etiamſi induſtria Agricolæ acceſſerit, tamen ſæpè lappæq́; tribuliq́; interq́; nitentia culta, Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ. Idem in ingenijs humanis accidere cenſendum eſt, ut niſi literarum quaſi agriculturà accuratâ ſubigantur, infeliciſſimam turpiſſimorum facinorum turbam effundant. Interim quemadmodum ea

non

nonnunquam agri alicujus infelicitas eſt, ut etiamſi maximâ quaq; induſtria colas, tamē nihil proficias propter loci ſterilitatē & quod inutilium herbarum radices nimis alte inoleverint. Idem ſæpè videas in multis adoleſcentibus contingere, ut omnis in eorum ingenijs ad probitatem excolendis opera fruſtra collocetur. Tamen ſint mala mens, malus animus.

MORES. In Hercule non fuerunt eximiæ quædam virtutes, attamen FORTITUDO in ipſo maximè celebratur, ſed revera fuit audacia. Robore enim corporis præpolluit, ſed quo non tam uſus eſt ad defenſionem Juſtitiæ quam ad exercendas injurias. Verum ea nullo modo poteſt dici Fortitudo quæ cum malitia conjuncta eſt. Tum præterea quicquid fecit alieno imperio coactus eſt facere. Euryſthei ſcilicet, â quo facinorum ſuſcipiendorum omnium accipiebat mandata. Fuit quoq; Hercules homo intemperantiſſimæ libidinis, uxores habuit plus decem: & quam ille non amavit, virginem? Cui non intulit vim regi, quē forte audierat pulchram aut filiā aut conjugē alere? Deinde fuit voraciſſimus, integros ſæpè boves devoravit: Temperantia â græcis σωφροσύνη dicta quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν ſive cuſtos prudentiæ, quod prudentia ſine temperantia aut acquiri aut conſervari non poſſit, itaq; dubium non eſt temerarios ac ſtolidos eos evadere, qui intemperantiæ dederint ſeſe. Ita quoq, iracundus fuit Hercules, ut præ ſævitia bis in furorem verſus fuerit, in quo, ne â proprijs quidem filijs manus abſtinuit. Ira furor brevis eſt. Inſuper Injuſtus fuit Hercules ille, Nullos adhibuit honores magiſtratui. Aliquot Thebanos principes Patriæ ſuæ Dominos interfecit. Euryſtheum Dominum ſuum tanto affecit metu, ut in vas æneum ſe abderet.

(Res geſtæ) Res geſtæ communiter duodecim labores Herculis vocantur. 1. Leonem quendam interfecit. 2. Hydram interfecit. 3. Aprum terribilem cepit, eumq; ad Euryſtheum adduxit. 4. Cervam curſu eſt conſecutus. 5. Volucres quaſdam ſtymphalides ſagittis transfixit. 6. Amazones vicit. 7. Bovile ſtabulum expurgavit. 8. Bovem quendam ignem ſpirantem interfecit. 9. Diomedis equos item ignem ſpirantes abegit. 10. Geryonem tricorporem Hiſpaniæ regem bello ſuperavit & vaccis ejus potitus eſt. 11. Mala Heſperidum abſtulit conſopito dracone. 12. Cerberum ab inferis abſtraxit. Hi ſunt duodecim

labores Herculis, ſed fabuloſa hæc ſaltem ſunt quod ipſi voluerunt dicere autores, quoniam ne ſpeciem quidem alicujus ſimilitudinis allexerunt. Præterea tenuia ſunt Apros, volucres, cervas, equos, canes, mulieres capere, ſtabula expurgare. Illa vero præclariora ſunt, domitas habere libidines, vitare iracundiam, animo imperare, quæ non fecit Hercules. Sed turpia facta potius amplexus, Intemperantiſſimus Hercules fuit, Theſpjj regis Bæotiæ quinquaginta filias una nocte ſimul ſtupravit. Narretur hic de bobus devoratis. Item non puduit ipſum ſumto ancillari habitu penſa trahere & colum exornare, apud Omphalem Lydorum Reginam, quæ ejus, quoties ruſticis manibus tractaſſet lanam Sandalio mitigabat caput. Narretur hic de furoribus Herculis. Item pincernam quendam hoſpitis ſui, qui impuram aquam manibus affuderat, pugno percuſſit, & uno iſto ictu occidit. Apte hic comparari poteſt, cum Morione iſto Thilone, quem vocant noctuæ ſpeculum. Uterq; puer penè, clarum edidit ſignum reliquæ vitæ, ille quidem illuſoriæ artis, hic v. feritatis. Uterq; plures terras obijt & à turpibus factis clarus evaſit. Quicquid omnibus ſeculis in eodem genere commiſſum eſt ſceleris, in hos confertur. Uterq; etiam in morte inſanivit.

Comparatio.

(Concluſio.) Concluſio habeat repetitionem præcedentium & adhortationem ad pietatem & ad virtutem.

Vituperatio III. Saturni.

Exordium à docilitate & attentione. Primò dicitur ſumma inſtituti. 2. commendatur ab utilitate, neceſſitate, jucunditate, honeſtate. 3. inſtituitur Partitio.

PRopoſitum nobis eſt Auditores, paucis perſtringere religionis Ethnicæ vanitatem, qua non Deorum tantum ſed ne hominum quidē nomine dignos Saturnum, Jovem, Apollinem, Mercurium, Bachum & alios quoſdam pro Numinibus habuit ac veneratum eſt ſtolidum Ethnicorum ſeculum. Etſi enim de religionis negotio & ſobriè loqui & reverenter ſentire quemlibet decet: tamen non eò accipiendum hoc eſt, q. ſuperſtitionis temerariæ accuſandæ locus inter pios non ſit. Imò eò religioſior ea oratio videri debet omninò, quæ in adul-

Prima commendatio ab honeſtate.

terinas religiones invehitur, quò clarior indè erumpere veritatis splendor in fidei negotio poterit, si falsarum opinionum istæ tenebræ, gravi ac seria reprehensione dispellantur. Nec videri debet hujusmodi accusatio aliena à nostris temporibus, quippe quibus dudum Ethnicorũ de Dijs suis figmenta non è regionibus tantum nostris, sed hominum mentibus penitus ejecta atq; abolita sint. Nescio enim quid (quod non tamen ominis causa dictum velim) sed nescio quid ultimis his & desperatissimis seculis metuendum nobis sit, cum ad gentium priscarum scelera & flagitia homines Christiani relapsi simus, an non etiam tandem ad fœdissimas eorundem opiniones recidere valeamus. Non ignotum est, quid Romanis acciderit, non civibus tantum & privatis excellentissimis viris, verum etiam Imperatoribus & quidem in Christiana doctrina accuratè institutis. Quare cum hæc ita se habeant, non possumus satis tempestivè præmonere, ut semper in promtu ac parato habeamus, quæ in isto cultu Gentilium Deorum quam fœdissima animadversa sunt, ut seriò detestemur.

2. A necessitate.

3. A jucunditate.

Tum illuc utemur, ut conferentes lucem divinæ cognitionis, quam ex sacris Christi nostri monumentis haurimus: de ea felicitate nostra, quæ nobis ex divina clementia obtigit, vehementissimè gaudeamus.

4. Ab utilitate.

Quanquam & alius hujus narrationis usus erit, ut hic q. in indice quodam breviculo notata habeamus, quæ de Gentium Dijs Poetæ fabulantur, ut quoties usus erit, sive ad interpretationem Poëtarum sive ad recolendam istorum memoriam hinc depromere liceat. Dicam igitur nunc primo loco de Saturno omnium Deorum q. communi avo, & duo explicabo, 1. originem quandam ex historia demonstrabo, undè Poetæ fabulas suas derivaverint & omnia ad divinitatem detorserint. 2. ostendam quam turpia Numina Ethnici coluerint, & quidem ipsorum Testimonijs. Ego sanè has quas dixi partes in Saturno persequar. Alij post me in reliquis describendis Deunculis easdem observabunt.

Partitio.

Prima Circumstantia Parentes.

Parentes Saturni fuerunt Canaan & sic Chamus filius Noachi quod constat ex historia Berosi Chaldæi omnium antiquissimi scriptoris inter prophanos, & collatione sacrarum literarum. Nam Saturnum hunc dicit fuisse Nimrodum Berosus, qui fuit primus Monarcha Ba-

byloniæ. Idem filium habuit Belum ſecundum Chaldæorum Regem, qui ab al'js Jupiter dictus eſt.

Neq; contradicunt Poëtæ: ajunt tamen â cœlo & à terra genitum eſſe.

Accomm. O miſeros igitur Deos, quorum cunabula monſtrare poſſumus, & qui non tantum Parentes, undè orti ſunt, ſeniores ſe, verum etiam ſecula antiquiora fateri coguntur. Deus enim eſſe quomodo poteſt, qui nativitatis ſuæ initia noverit? aut quomodo pro æterno Numine quenquam habere in mente cuiquam venire poſſit, qui aliquando non fuerit?

2. Circumſt. Cognoti. Fuerunt hi reliqua poſteritas Canaan, cui Patriarcha Noachus graviſſima imprecatione maledixit, quod Propheta cum eſſet, præuideret ſimilem fore hujus gentis impietatem & adverſus divinas leges contumaciam, atq; in Chamo communi Parente deprehenſa fuerat, ut ſcilicet ſpretâ cœleſti doctrina à Patriarchis inculcata ad peſſimas Idololatriæ vanitates diſcederent.

Accomm. Undè mirum non eſt ita eueniſſe, quemadmodum Divus Noachus præviderat, ut à poſteris prophaniſſimis hominibus Saturnus vel Nimrodus avus & cognatus pro Deo haberetur, quod ſcilicet mores inter ipſos congruerent: ſemper enim hoc obſervatum eſt Ethnicos deſerto veri Dei cultu, cum aliud Numen deligere ſibi decreviſſent, omnes quidem ſpurciſſima & viliſſima Idola Deos conſtituiſſe: ſingulos verò eò animum applicuiſſe, ut in quibus eorum vitiorum inſignes notæ apparerent, quibus ipſi dediti eſſent, his Numinibus ſibi conſtitutis, q. culpæ ſaltem ſocietate juvarentur. Itaq; fures Mercurium furem: Libidinoſi Venerem intemperatiſſimæ libidinis meretricem: Crudeles Martem ſanguinolentum, alij alios Patronos & tutolares Deos ſuos creaverunt. Cananæi igitur homines ad omne facinorum genus audaciſſimi talem etiam Deum ſibi conſtituendum rati ſunt, qui ab iſtiusmodi vitæ ſtudijs non abhorreret.

3. Circumſt. Mores & res geſtæ veræ per prætéritionem. Nam cum ſacra quidem hiſtoria de Nimrodo vel Saturno nihil præterea commemoret, niſi qvod tyrannidem vel imperium primum occupaſſe dicat, ipſæ Poëtarum literæ, quæ Saturnum in Deorum cœtum evehunt, illis eundem moribus depingunt, ut non ſolum in Deorum aſcribere numero & civitate quaſi, imò etiam in bonis viris ac-

censere meritò illos pudere debuisset. Dicam autem de his jam mox si paucis præmisero, quid de Parentibus & cognatis ijdem commemorent.

Fingunt Poëtæ, alij quidem ex cœlo & terra: alij Theti & Oceano natum esse Saturnum. *4 Circumst. Parentes ex Poëtarum sententia*

Atq; hic non opus est indicare ficta ea esse & plena fabularum, cum nihil verisimilitudinis habeat commentum: Deum scilicet ex mari nasci vel ex terra. Herbas, arbores, metalla, ex terra produci; pisces in mari generari, & ex piscium quidem semine novimus. At naturam intelligentem, hominem scilicet ita productum esse, nec meminit quisquam, nec hoc fieri ratio ulla vel fingi saltem permittit, multò hoc minus credi de Dijs immortalibus debet. *Accomm.*

Commemorant Poëtæ Saturnum habuisse fratres Cyclopas unoculos, Titanes centimanos, qui cælum expugnarunt, Oceanum & alios quosdam. Item Thetin, Phœben vel Lunam & Mnemosynen vel memoriam. *5. Circumst. Cognati ex sententia Poëtarum.*

Quibus verbis nihil absurdius dici potest Primum enim ineptum illud est Maris & Lunæ & memoriæ generationem fingere similem humanæ. Deindè parum indè laudis accedet Divinæ Saturni naturæ, quod istos pietatis osores & hostes fratres assignatos habet. *Accomm.*

Tota autem puerilis ætas Saturni silentio præteritur. *6. Circumst. Natura & Artes.*

Satis testatur reliqua vita quæ adolescentis studia fuerint. *7 Circumst. Mores.*

1. Impietas in parentes. Principio cum adolevisset ingenij improbitatem adversus Parentes probare primo loco voluit: Testibus enim Poëtis nostris Patrem Cælum principatu exuit & per vim execuit. Quanquam fabula indè videtur emanasse, quod Chamus Saturni avus Patrem Noachum ebrium & detectum illuserit: tamen Poëtæ & Ethnicorum vulgus insignis temeritatis crimen meritò incurrunt, dum istum inter Deos referunt, quem tanta impietate erga Parentes exercita omnem Dei metum sustulisse ijdem credunt.

Deindè verò etiam hic Deus, ut reliqui Ethnicorum, fuit nobilissimæ Libidinis: ut multas virgines, multas conjuges vi summa oppresserit. *8 Circumst. Alteri Mores. Libido.*

Cum tamen nullam virtutem Deo commendatiorem dictet ratio quam castimoniam. *Accomm.*

Acce-

Crudelitas. Accedit insignis crudelitas, quod ne à proprijs quidem liberis manus abstinuit, sed omnes recens natos iugulavit, vel, ut Poetæ volunt, devoravit, undè postea humanis hostijs placandus fuit.

Accom: Undè iterum stoliditas apparet religionis Ethnicæ, quod ad eius numen supplices confugerunt, qui ne liberorum quidem ex se natorum misericordia commotus sit, & ex eo auxilia sibi polliciti sunt, qui ne ipse se quidem à filijs nisi horum & infantum quidem morte, tutari potuerit.

9. Circumst. Res gestæ. 1. Secundum Libidinem. Sororem uxorem duxit. 2. Cum amaret Philyram Oceani filiam & interveniret uxor, ille metu uxoris conversus est in equum. Virg. 3. Georg.

Accom: O cæcam mentem hominum: qui fingere saltem per somnia possunt eos mundi arbitros & præsides: quique omnia moderentur imperio suo, qui ne propriæ quidem libidini temperare potuerint.

2. Secundum Fortunas. Pulsus à filio Jove è regno, est eadem à filio passus, quæ ipse fecerat Pater. Fugit igitur in Italiam quæ dicta est Latium, quod latuisset ibi Saturnus.

Accom: Imbecillem Deum qui latere, qui à filio hæc pati cogitur.

Comparatio. Cum vesica aut utre inflato atquè mari innatante. Hæc vas sordidissimum est dum vivit lotium servans; Ita Saturnus habitaculum nequitiæ erat dum in vivis erat. 2. Illa aëre insufflato extenditur: Ita Saturnus ad istos honores aura & lenitate vulgi evehitur. 3. Illa appetitur à piscibus admirantibus novitatem rei, sed frustra & nullo fructu; dum enim assultant pisces, longius à se protrudunt, sin autem apprehendant, vulnerata ea aëre dispulso collabitur. Ita Saturni cultum tuebantur homines tantum cerebri habentes quam pisces. Ignorantia autem factum est, ut urgerent hanc religionem eventu autem nullo, nisi ridiculo isto, ut penitus rem considerantibus ipsis dolus patesceret, &c.

Conclusio. Primò per repetitionem dictorum. 2. per Apostrophen ad Deum, agantur gratiæ de lucis cœlestis plenitudine nobis revelata.

Vituperatio IV. Jovis.

GRavissima est illa Divi Pauli vox: Gentes cum Deum ex ea cognitione quæ ipsis indulta erat colere, & gratias agere neglexissent, in reprobum sensum traditæ sunt; ut sibi visi sapientissimi; in stultitiam

turpissimam discesserint, Dei gloriam in vanissimam umbram hominis aut quadrupedis aut avis aut piscium commutantes. Causam dicere voluit Divus Apostolus, cæcitatis nunquam satis admirandæ, qua homines ad eam dementiam dilabi potuerunt, ut mortales & similes sibi homines & brutas bestias, loco immortalium Deorum haberent & colerent; Causa ea est neglectus veræ agnitionis divinæ, quam ex naturæ reliquijs haurire potuerant. Omnibus enim hominibus hoc natura innatum est, atque insculptum omnium mentibus, esse aliquam cœlestem vim vel Deum aliquem unde universa natura procreata sit & conservetur, quique ab humana potissimum gente pietate & morum sanctitate demerendus sit. Hanc lucem & legem naturæ, oppressum ibat humani ingenij malitia. Quare mirum non est cum à luce cœlesti abrumpere se quam longissimè gentibus semel placuisset, in tantas tamque profundas ignorantiæ tenebras demersas esse, ut plerique nullum Deum: Alij fœdissimos quosvis homines vel hominum monstra; alij vilissimas bestias aut herbas etiam in numerum Deorum allegerent. Inductio addatur vel enumeratio turpium Deorum, tandem conclusio vel digressio ad rem ipsam. In his Deorum monstris rectè numeratur Jupiter in quo adeo nihil est, quod divinitatis opinionem afferre possit: ut difficile sit statuere, utrum magis admirari debeamus illorum impudentiam, qui hunc Deum primum introduxerint, vel reliquorum stultam credulitatem qui pro Deo acceperint. Quod faciam brevi vos cognoscere, ubi paucula præmisero de origine fabularum quas Poetæ finxerunt. (De Jove, vel quisnam ille fuerit Jupiter secundum historiæ fidem.) Principio hoc nomen inditum fuit secundo Assyriorum Regi Saturni vel Nymrodi filio; Principi quidem quantum ex historia istorum temporum reliquum est non malo. Verum cujus tempore propagata sensim humani generis multitudine, etiam scelera cœperunt vulgò fieri, & frequentiora esse, quam superioribus seculis, quibus sub communibus avis & inter parietes ferè domesticos Noachi posteritas regeretur. Unde hæc aurea, illa argentea dicta sunt secula. Contigit etiam circa eadem tempora terrarum divisio: Japheto Europa, Semo Asia, Chamo Arabia fuit attributa. Verum Chami posteri reliquorum sortem item invaserunt ut in ipsa Asia primi imperium constituerint.

Paraphrasis.

Vera Narratio.

Narratio Poetica circumstautia 1. Origo sive Patria.

Hinc fabulæ originem traxerunt, Quod Jupiter cum duabus fratribus imperium diviserit, cum Neptuno & Plutone & quod ipse inter fratres regnet &c. Patria est insula Creta de qua extant Poetæ versus: Accommodatio) Malo omine apud mendaces Cretenses natus est Jupiter ut à principio admoneamur, quæ ultra fidem de Jove commemorantur, à quibus autoribus profecta sint, quodquè parum fidei mereantur. Pater Saturnus: Pluto & Neptunus fratres: Juno & soror & conjunx (Accommodatio) Ridiculus Deus qui parentes & sorores suas jactare possit. Clam patre educatus, in antro Dictæo sub Ida monte ab apibus & capra Amalthea, & Curetibus, item columbâ & aquilâ. Inde postea apibus sagacitatem eam indidit ingenij, & aureum dedit colorem pro ferrugineo; caprum in astra retulit, item aquilam.

2. Circumst Pater & cognati. 3. Circumst. educatio,

Accom. Non est Deus qui vim metuit alienam. 4. Circumst mores. Res gestæ secundum libidinem.

1. Timidus fuit quia sæpe vim passus est. Item 2. Audax quoniam in justis armis patrem è regno expulit. 3. Libidinosus, quia propriam uxorem sororem duxit, nullam fœminam tutam esse sivit ab adulterjo suo saltem pulchram. In cuculum fuit conversus propter amorem cum ambiret nuptias sororis: item in alia animalia quæ continentur his versiculis

Fit taurus, Cygnus, Satyrusquè, aurumquè: ob amorem
Europæ, Ledes, Antiopæ, Danaes.

Tertia Pars comparatio

Comparetur cum bovis cadavere. Utilissimum est animal bos, administerium operæ rusticæ: sed communi obnoxium sorti rerum sublunarium, ut quemadmodum certo generationis modo, ex elementis conflatum est, ita & tandem naturæ circumvoluta Periodo moriatur, & in principia sua resolvatur. Ita Jupiter dum inter homines conversabatur, utilissimam quidem genti humanæ operam navavit, pacem legibus & pœnis firmando. Verum quod homo natus fuerat, sive quod naturæ contagionem ex parentibus humanis hauserat, communem hominum fortunam devitare non potuit, quin justa naturæ, ut loquuntur persolveret, & rebus humanis morte concederet.

Secunda Pars comparationis.

De bovis cadavere vetus opinio est, ex viscerum concreto sanguine sæpè apum examina enata evolasse. Sive casu aliquo apes forte circa bovis cadaver conspectæ, aut nova etiam examina eo commigrantia initium opinioni huic dederunt: sive alias creduli agricolæ, & clade vel calamitate amissorum juvencorum, faciles ad credendum ijs,

quæ

quæ ab audaculis ingenijs vt fit fingebantur, libenter assensi sunt. Idem etiam Jovi nostro contigit, vt cum mortui & absentis honestum apud omnes desiderium esset, ex levissimis conjecturis divinitatis alicujus suspicio conciperetur. Dum quæ â quibusdam vel illudendi causa reliquorum simplicitati vel præ vanitate quâdam fingerentur, illa nemine contradicente admitterentur. Principio enim subditorum unus & alter imaginem Jovis aut pictam aut cœlatam, aut alio quodam artificioso opere expressam domi habebat in delicijs & thesauris suis, saltem in memoriam meritorum plurimorum in salutem communem collatorum: sensim annorum successu, religionis alicujus in istis imaginibus opinio accessit, vt non nisi reverenter tractarentur, tum preciosæ etiam vestes injicerentur, tandem somnia, apparitiones quædam nocturnæ, & aniles fabulæ & similia figmenta divinitatis certissimam opinionem adduxerunt & confirmarunt: Ut non inter mortuos amplius accenseretur Jupiter sed ex sepulchro quemadmodum apum examina ex bovis cadavere in cœlum evolasse crederetur.

Primum habeat repetitionem, 2. Habeat adhortationem ut gratis agnoscamus animis quod ab istis tenebris, quibus sapientissimorum virorum plurima pars, dico Philosophorum, Poetarum, historicorum demersa fuerit, nos divina ope expediti simus. *4. Pars conclusio.*

Vituperatio V. Mercurii.

Exord: captat benevolentiam â modestia, dum affertur ratio huius tractandi argumenti. Figura elocutionis occupatio.

NOn dubito auditores, quin sint quibus placere non possit ea quam instituimus Deorum Ethnicorum vituperatio. Quod dicent, adeò non voluisse fabularum primos autores, ut hæc sic gesta crederentur quemadmodum ficta sint: ut arcana quædam sapientiæ præcepta, quæ in vulgus proferenda esse non iudicarent, his figmentorum involucris occultaverint, quasi securioris custodiæ causa. Quorum sententiæ sanè libenter accedo, saltem si & hoc mihi largiti fuerint, quæ â priscis Poetis fortè sapientiæ alicujus ut dicebant asservandæ causa his fabularum quasi thecis & capsulis conclusa sunt, ea postea vel a vulgi stoliditate, vel ab omnium ad idololatriam proclivi vanitate ad eum quem

præ se ferrent literæ sensum detorta esse: neglecto omni sapientiæ præceptorum abdito ut ajunt thesauro. Præterea quicquid sit de rerum gestarum reliquarumquè circumstantiarum veritate, hoc tamen constat, pro Dijs & cœlestibus Numinibus cultos & creditos esse, quibus hæc affingerentur. Quare excusari satis non poterit hæc inconstantia, qui ijdem eos Deos proclamarint & in cœlum sustulerint de quibus maxime indigna & à judicio atque adeò auribus boni viri abhorrentia persuasi essent. Quod ut jam ante de Saturno & Iove ostensum est, ita nunc de Mercurio planum faciam. Facite ut attenti æqui boniqueauscultatores adsitis, meumquè studium vestra audiendi æquanimitate & alacritate conservetis aut etiam excitetis.

Vera narratio. Fuit Mercurius vir quidam literatissimus apud Ægyptios, peritus rerum Mathematicarum, physices, politices & eloquentiæ. unde nominis quædam celebritas & mortui superstes fuit. Tum mirabiles quosdam artium effectus huic tribuerunt fabulis inclusos: ut qui dixerunt aurea quadam catena Mercurium inclusas habere omnium hominum aures, ut hos quorsum velit, trahat. item virgam attribuerunt mirabilis facultatis, de qua virg. 4. Æneid.

Hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit
Dat somnos, adimitque & lumina morte resignat.
Illâ fretus, agit ventos & turbida tranat
Nubila &c.

Quâ fabulâ hoc voluerunt insinuare Poetæ pacis & belli, vitæ ac mortis omniumque adeò fortunarum arbitrium penè situm esse in hominis alicujus diserti, qui Reipub. præsideat potestate & ab eadem eloquentia plurimum gloriæ evenire.

Verum hinc non excusantur Poëtæ, qui fortassis lusus causa olim conficta, postea in religionem converterunt & ut seriò à vulgo crederentur, docuerunt. *Narratio ficta 1. Circumst. Natio.* Hæc est incerta alij in Arcadia alij alibi natum dicunt & locis quidem disjunctissimis. Accommodatio. Ut ipsi auctores facilè probent religionis huius suæ commentitiæ male consutam fabulam. Vix enim fieri potest ut in figmentis ita providè agas, quin aliquando titubes. *2. Circumst. Maiores. Accom.* Pater Jupiter Deus creditus est Mater Maja Nympha quædam vel stella, Avus Atlas mons Arcadiæ. O vanas nugas, ô stolidos Poëtas, qui ista non tantum tanquam seria verum reli-

gionis

gionis partem simplici plebis credulitati obtrudere nihil veriti sunt, ut à montibus tanquam masculis & è conjugio homines imo Deos nasci fingerent, tum stellas puerperas facerent.

A prima nativitate ajunt Poëtæ apparuisse in Mercurio inauditam quandam furandi calliditatem, ut cum isto die, quo natus fuerat, ad Vulcanum deferretur, huic omnia fabrilia instrumenta surriperet. Iterum Jovi sceptrum clam auferret & fulmen ablaturus, nisi ignis flammas metuisset. *3. Circumst. naturæ.*

Deinde luctatus cumCupidine puero, hunc astu quodam evertit. Venus gratulandi animo complectebatur Mercurium, hic inter complectendum cingulum suffuratur.

Mirabile Deorum concilium ex furibus conscriptum quos sanè præsertim tanta vafricie vix latronum aliqua societas imperare sibi pateretur. *Accom:*

Adultus Mercurius jam callebat hanc artem, itaquè ab hac potissimum nominis nobilitatem sibi acquisivit: Narretur hic Batti fabula lib. 2. Metamorphos. Phœbo boum furto stomachum moverat aliquando & tantum quidem, ut jam jam ex pharetra depromturus esset telum quo Mercurium transfigeret, hic vero tanta celeritate artis suæ prævenit Phœbum, ut prius pharetram sagittis vacuam fecerit, quam ille telum corrripere potuerit. *4. Circumst. 1. Res gestæ. 2. Res gestæ.*

Argum quendam centoculum virgini Jo in vaccam mutatæ à Iunone præfectum fuisse ajunt, ne illa à Iove amatore quòquam abriperetur. Quare cum præ metu uxorio eam rem palam agere non auderet Iupiter, per Mercurium insidias pastori Argo fecit qui nosset, hunc versandis dolis aptissimum. Aggressus est Argum Mercurius cum tibia: cum assedisset, ita suaviter delinijt, ut alium atquè alium captus dulcedine oculum occluderet, ita profundo somno consopitum capite spoliavit Mercurius. *3. Res gestæ.*

Hominis omnium scelerum ministri ingenium laudari auditis non honesti: multo minus Dei aut numinis cujusdam vel levissima vestigia atque indicia usquam apparent. Qui enim ut alienæ inserviat libidini homicidia, furta, ac fraudes in se suscipit, mea quidem sententia virtutis & honesti viri nomen tueri non poterit. Nihil enim commune virtuti cum flagitijs unquam quicquam fuit: & ubi scelerum ap- *Accõm:*

parent signa, dubium nullum est, quin longissime absint virtutum honestatisquè ornamenta.

4. Res gesta. Iove apud Alcumenan cubante Mercurius habitum servi Sosiæ induit, sequè pro Sosia gessit, ut apud Plautum legere est in Comœdia Amphitryone.

Accomm: Qua in re ut geminum est improbitatis testimonium, ita duplex divinitatis fictæ in Mercurio expugnatio. Primum enim Iovis ut ajunt Poetæ, inhonestæ voluptati famulatus est. Deinde ingenio, ad illusionem innocentum, vel ut ipse apud Plautum loquitur ad familiam istam honestissimam quidem erroris dementiæquè complendam nequiter abusus est.

Quorum utrumquè alienissimum ab eo esse debet, qui integram de virtute suâ apud alios opinionem servare annititur.

Secundum genus rerum gestarum ex fortuna, Videamus nunc quid officij demandent Poetæ huic tam præclaro numini 1. Ajunt huic demandatam esse provinciam verrendi cænaculum Deorum & insternendi scamna, tum nuncium ferendi. Porrò latronum etiam princeps & furum constituitur. Accomm.

Pudet me quicquam adjicere, aut monere vos, quam ista absurda & cum mente non planè furiosa pugnantia conficta sint. Quid enim est Deum esse nisi universi quoddam arbitrum numen? Cuius nutu atque potestate omnes res administrentur? Quid porrò minus cum hac majestate convenit, quam ad puerorum uilissima servitia ablegatum esse? aut à pedibus sive Epistolis deferendis constitutum? atque adeo in latronum societatem detrusum? Altera fortuna filij: Filios habuit Autolicum, avum Ulyssis & nescio quem alium: celeberrimos sanè: non opus est addere quibus artibus, ipsi ex paterno ingenio potestis æstimare. Autolicus quidem furandi arte ditissimus evanit, in qua tanta præpollebat celeritate, ut equum optimum furari posset equiti insidenti& substituere asinum scabiosum :item cuidam sponsam rapiebat virginem pulcherrimam & aliam edentulam& muco difsluentem substituebat. Comparatio.

Comparetur cum mergo 1, Furtis alit ista avis se piscium scilicet 2. Clamore quodam intra aquas excitato terribilis est saltem minus ejus rei peritis:ita Mercurij nomen & numen terrorem quendam incussit & divinitatis metum antiquarum fabularum latebris. Concl.

1. Habeat repetitionem dictorum, 2. Amplificationem & detestationem imprudentiæ etiam politicæ ad quam per idololatriam abierint Ethnici: ut etiam furta honestatis, imo etiam divinitatis cuiusdam nomine commendarint.

Vituperatio VI. Bacchi.

Exordium captat benevolentiam à reprehensione Adversariorum, Poetarum. Figura Elocutionis occupatio. 1. Concessio.

SI in poëtarum Deunculis fictitijs reprehendendis hoc tantum spectari deberet Auditores, quid ipsius rei indignitas postularet; sane omnes ab ea oratione libenter abstinerent. 2. Ratio. Cum & ea plerorumquè figmentorum sit spurcities, ut vel castissimus animus istorum memoriâ inficiatur vel fastidium saltem quoddam sentiat: & reliquarum nugarum tanta inconcinnitas, ut temere collocatum haud abs re videri possit, quicquid in ijs evertendis operæ & temporis insumtum fuerit. 3. ἀντίθεσις & contraria ratio. Odium tamen & justus quidam ut mihi quidem videtur. Zelus adversus istorum mentiendi impudentiam in rebus adeò serijs, quo ego me fateor maximo, præ alijs tamen longe minimo laborare, fecit ut abstinere non potuerim, quin ipse etiam in Ethnicorum idola quædam dicere pro ingenij facultate, quam tantum ab alijs dicta approbare maluerim. Et quidem omnis ista adversus Bacchi vel ipsi s Ethnicis prudentioribus exosum idolum à me suscipietur disceptatio. Audietis ita stolidè, ita absurdè, ita improbè deniquè plæraque consuta esse, quæ de Baccho commenti sunt Poëtæ, ut merito infra idolorum infimorum infima ablegari debeat. 1. Vera narratio. Puto quædam quæ de Baccho narrantur & pleraquè sanè ad Niniam Semiramidis & Nini filium referenda esse. Dicitur enim filius Jovis, id est, Imperatoris. Hi enim tunc temporis Joves dicebantur: tum quod veri Jovis vel Beli nepos esset. Sic Semele mater Bacchi, an non temporum antiquitate potuit facta esse ex Semiramidis nomine? Idem homo voluptuarius largiori passus subditos indulgere usui vini, vinum ipsum dicitur invenisse. Tum Indos vel Æthiopas sub ditionem & potestatem rede-

gisse:

gisse: quia mater Semiramis filij habitum assumens & pro filio se gerens Æthiopiam suo imperio adjecit. Quod postea cavillandi causa ad filium relatum est, tantum ignaviæ & ventri deditum. Unde multum joci aspersum de armorum genere, comitibus militiæ ineptis, quibus Æthiopum potentia fracta sit. Quædam verò ad ipsum Noachum retulerim; præsertim quod inventionem quorundam salubrium institutorum circa vini culturam attinet. Quædam tandem ad ebrietatis quandam quasi imaginem in Bacchi fabula pingendam accommodata sunt. Quorsum e. g. illud refero, quod Bacchum semper puerum esse, & imberbem & semper furentem fingunt: quod tigribus vehi ajunt; Etenim vix seriæ cogitationis quicquam videtur consistere posse in hominis eius mente, qui poculis perpetuo deditus est, ut ebrij semper pueri, semper stolidi, semper rebus agendis inepti sint. Tigres verò feruntur singulari quodam & reliquis feris inusitato modo vini appetentes esse. De furore autem a vino immisso, quo ita homines immutantur, ut non tantum vix ijdem, sed ne homines quidem esse cognoscantur: de his inquam notior res est, quam ut opus sit pluribus me monere. Fac hic inductionem quæ flagitia committantur ab ebrijs, &c.

II. Ficta narratio: vel quid Poëtæ de Deo suo Baccho commemorent.

Venio ad ea quæ tanquam relligionis suæ de Baccho capita docent Poëtæ.

I. Circumstantia, origo. 1. Parentes: Ajunt ex Jove patre & rege omnium Deorum genitum esse. Matrem ajunt alij fuisse Metim, alij Semelen. Narrentur fabulæ. Metim ajunt gravidam à Iove deglutitam; Semelen ab ejusdem concubitu combustam. Fœtum vero immaturum intra Iovis femur perfectum fuisse & inde natum. Accommodatio.

Cum ipsæ hæ fabulæ nullam apud quempiam adeo sponte suà insanum fidem invenerint; nec ipsa Deitas aut numen Bacchi credi à quoquam debuisset. 2. Deus quomodo gignere potest? erit enim corpore præditus, & sic ex natura concretus, quomodo

igitur naturæ parens & autor? Et quomodo non interitui & mutationi obnoxius? Quod ſi conceditur, quâ ſpe auxilia ab iſto numine quisquam petere auſit: quod ſibiipſi adverſus graviſſima mala prodeſſe nequeat? Porro ſi corpore præditus Deus: & libidinis affectu: etiam iracundia commovebitur: ſic lites orientur inter tam multiplicia numina, ſic neque diuturnum imperium eſſe poterit.

Circumſtantia II. Patria. Alij Poetæ alibi natum & educatum ajunt, in eo tamen omnes conveniunt, quod inter homines educatum fingant. Accommod. Igitur Deus quomodo eſſe poterit? Non enim novit Deus infantilem aliquam ætatem. Et quod ex terra genitum eſt, quomodo ſuâ virtute in cœlos evolare, ne dicam ſe Deum hoc eſt cœli terrarumque Dominum conſtituere poterit?

Circumſtantia III. Fertur fœmina & mas ſimul fuiſſe. Hermophroditum vocant, unde fluxiſſe morem crediderim in huius ferijs veſtem inter ſe mutare ſexus. Accommod: Monſtrum igitur fuit non Deus. Stolidiſſimi fuerunt Ethnici, qui quem non inter homines perfectos propter naturæ errores aſſcripſiſſent, hunc in Deorum concilium allegere nihil veriti ſint. 2. Semper eſt puer. Accommod: Qui ergo ſibi non ſapit quomodo alijs ſapere aut pro Deo haberi potuit?

Circumſtantia IV. Mores. 1. Timidus fingitur à Poëtis. Ajunt enim in cœli oppugnatione â gigantibus facta in leonem mutat fuiſſe. 2, Eundem fingunt alibi audaciſſimum poëtæ: ut quod ad Indos armatos inermis & cum exercitu mulierum ebrioſarum ac ſatyrorum expeditionem ſuſceperit. Hinc etiam cornua affingunt. 3. Intemperantiſſimus Unde & Intemperantiæ Deus. Libidinem eius teſtantur tot adulteria. Et ab immoderatâ lætitiâ iſta nomina indita, ut Iacchus, Evan, Bacchus ab inſanis clamoribus dicatur. Tum Liber, quod nullis coërceatur honeſtatis & legum frenis.

Res gestas, lege mirabiles quasdam apud Ovidium lib. 3. Metamph. fab. 7. & seq.

Fortunæ: honores habiti: vel Bacchanale festum,

Conclusio habeat repetitionem. 2, Precationem, ut Deus largiatur animum gratum de tanta benignitate quam Deus per divini verbi sui revelationem nobis præstat.

FINIS.



Errata.

P. 1. l. 7. *προδότου* l. 8, *κοινωνοῦσι* l. 11. *μεθ' ἃ* l. 12. *ἔγνωσαι*. l. 13. *μεθ' ἣν ἐπόισεις* l. 16. *φθάπαντα* ibid. *τελευταῖα*. l. 19. pro &, lege, ea. pag. 2. l. 26. pro, universalem, lege, universalitatem. p. 3. l. 1. pro sum : lege, sumi. l. 29. habeat de omnibus. p. 4. l. 5. & primo quidem loco. l. 6. quid sit bonum. l. 14. pro unum; lege, rerum. l. 17. pro erant; lege erunt. p. 5. l. 14. *ἐπιλόγοις*. l. 16. conciliare tibi benevolentiam. p. 6. l. 28. pro hinc; lege hunc. p. 11. l. ult. pro hic ; lege his. p. 15. l. 14. pro generalibus : lege singularib9. l. 15. ostendens. p. 16. l. 5. pro Verbis; lege Verris. p. 17. l. 3. *πρόσληψις*. p. 12. l. 20. pro idem: lege item. l. penult. pro orationibus : lege oratorib9 p. 26. l. 26. pro bonorum: lege honorum. p. 27. l. 21. glacialem. p. 28. l. 29. pro *τέχην*, lege *τέχνην*. p. 29. l. 4. *διαιρήσεως*. p. 31. l. 20. conventibus. l. ult. *τῶν δυνάμεων*. p. 32. l. 11. pro Artem: lege autem. l. 24. pro rei : lege res. p. 33. l. 14. personales. l. 18. habitus. p. 34. l. 6. pietatem & vitam perdidit. l. 9. pro sit : fit. l. 20. atque: l. ult. pro se: si. p. 35. l. 1. pro ei: eò. l, 2. pro verum : virum. l. 15. pro callidâ: callidè. l. 18. Comparatio. l. 26, Achitophelis. l. 28. Absolomum. l. 29. pro caput: capit. ib. felicitatis. l. 30. Propter duas potiss. ib. Viri Israëlitæ. p, 37. l. 23. pejorem partem. l. ult. Absolomum. p. 38. l. ult. pro honorum: bonorum. p. 39. l. 6. pro qua: quæ. p. 43. l. 28. quid confectum sit. p. 45. l. 14. majorum. p. 51. l. 22. insignia. p. 53. l. dele, &. p. 60. l. ult. idem etiam fit. p. 66. l. 24. calumniæ. p. 68. l. 15. pro ipsâ: istâ. p. 69. l. 10. turpissimæ. p. 77. l. 4. egere: ajunt. p. 81. l. 13. pro tunc. tum it. l. pen. p. 85. l. 10. prudentiâ. l. 14. pro loco, loro. p. 87. l. 16. pro intra, in irâ. p. 88. l. 10. pro angustius, augustiu l. 14. heroibus. p. 89. l. antepen. ut ne. p. 97. l. 17. renidenti. p. 98. l. 7. pro propterea, præterea. p. 99. l. 15. pro dum, tum. p. 110. l. 9. pro hi, illi. p. 117. l. 20. pro in, id. p. 118. l. 1. insculpendum. p. 121. l. 10. pro piæ ingenijs, præ ingenij. p. 126. l. 16. pro à, autem. l. 23. pro accepisset, accessisset. p. 146. l. 19. exercitatione.



